DE PSEUDO-ORPHEI CATALOGO ARGONAUTARUM.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB AMPLISSIMO

PHILOSOPHORUM ORDINE ERLANGENSI

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

CAROLUS HOFFMANN.

NORIMBERGAE

TYPIS EXPRESSIT J. L. STICH

MDCCCLXXXVIII.

Graecorum carminum in Argonautarum expeditione versantium, quae ad nostram memoriam manserunt, recentissimum hoc est, quod ab Orpheo antiquissimo illo vate compositum esse superioribus quidem saeculis credebatur, sed poëtae cuiusdam sub quarti p. Ch. n. saeculi finem florentis nomini addicendum esse a Godofredo Hermanno in Orphicorum editione p. 811 demonstratum est. Huius carminis auctor cum Orpheum, quem interfuisse in illa expeditione veteres tradiderunt, totam rem referentem fingeret Musaeo amico, hoc commodum adeptus est, ut, quandoquidem non omnia singillatim uberiusque narrare, sed summa tantum capita attingere sibi proposuerat, haberet, in quibus moraretur, in iis scilicet, ubi Orpheo tanquam Deo quodam ex machina opus fuit eiusque locus fuit miraculis (cf. Gesneri ad Orph. Arg. 525 notam et Weichert, de vita ac poëmate Apoll. Rhod. § 19 p. 105).

Atque si eas, quae inde effectae sunt, omittimus diversitates, multos alios invenimus locos, quibus mirum in modum Orphicus discrepat cum superioribus, qui Argonautarum expeditionis fabulam tractaverunt, scriptoribus, inprimis cum Apollonio Rhodio, ex quo universe Orphici narrationem pendere inter omnes constat. Vel maxime eiusmodi occurrunt varietates in versibus 118—229, quibus singulos enumerans Argonautas Apolloni exemplum imitatus agit de eorum stirpe ac patria. Quibus in versibus quae concinant cum Apollonio, eaque, quae discrepant cum eo, quibus causis commotus immutaverit vel addiderit auctor, hac quae sequitur explanetur commentatione.

Apollonius quidem expositis breviter expeditionis causis, priusquam in ipsas res narrandas ingrediatur, catalogum

inserit his usus verbis (1.20): *νῦν δ' ἂν ἐγὼ γενεήν τε καὶ οὔνομα μυθησαίμην ἡρώων δολιχῆς τε πόρους ἁλὸς ὅσσα τ' ἔρεξαν πλαζόμενοι.* Apud Orphicum vero catalogus conexus est cum narratione; ibi enim Orpheus ab ipso Jasone ad navigandum se invitatum esse dicit atque cum illo descendentem ad maris litus ceteros iam congregatos ibi se conspexisse eorumque comperisse nomina atque stirpem. Propterea in catalogo desiderantur Jaso et Orpheus, de quibus quae dispersim fiunt in Orphici carmine mentiones nunc primo colligamus et breviter conferamus cum iis, quae tradunt Apollonius ceterique.

Jasonem filium fuisse Aesonis ob eamque causam, quia Aesonem genuit Cretheus Aeoli filius (cf. sch. Ap. Rh. 3. 359), genus deduxisse ab Aeolo, ut secundum Hellanicum annotat sch. Ap. Rh. 3. 335, omnium consensu comprobatur. Orphicus quoque eum, postquam ad Orpheum venit, dicentem facit (v. 81 sq.): *εἰμὶ δ' ἐγὼ Μινύῃσι πανέξοχον αἷμα λελογχώς, Θεσσαλὸς Αἰσονίδης;* atque *Αἰσονίδης, Αἴσονος υἱός* crebro in carmine nominatur. De avis autem et abavis nihil traditur neque quicquam de matre, de qua varia testimonia attulit Burmannus in catal. Argon. s. v. Jason; cf. sch. Ap. Rh. 1. 46; 230. Hesiodus (frg. 37 ed. Kinkel.) eam dicit Polymelam, Apollodorus (2. 9. 16) Polymedam, Apollonius (1. 46; 233) Alcimedam. Hae nominis formae — Hesiodi quoque lectio corrupta sine dubio est ex „Polymeda" — conveniunt cum eo, quod Pylius (Zeitschr. f. Altertumswissensch. 13. p. 506) in Jasonis familia crebra fuisse ait nomina excidentia in *μήδη* et *μήδης;* ipsum enim illum primo Diomedem vocatum esse (cf. Archäolog. Zeit. 1845. p. 178) et Jaso nomen derivatum ab *ἴασις* ei inditum esse a Chirone, a quo educatus sit et artem didicerit medicam (cf. Hes. frg. 38; sch. Pind. Nem. 3. 92; sch. Ap. Rh. 1. 554).

Huic duplici nominis formae dubito an insit quicquam, quod spectet ad duplicem fabularum rationem, quas in Argonautarum fabula nobis nota in unum confusas esse censet Kennerknecht (de Argon. fabula quae veterum scriptores tradiderint p. 12 et 13). Unum enim genus, si eius

sequimur explanationem, ad ea quae in rerum natura fiunt revocandum est; hic Jaso deus est aetheris, qui nubes refert una cum Medea, dea nubium; hic locus sine dubio fuit Diomedi, cuius nominis forma apte convenit cum Medeae nomine. Alterum autem fabularum genus, quo de ipsa agitur expeditione, originem debet Minyarum navigationibus, qui Graecorum primi Phoenicum exemplo incitati mare intrare longiusque navigare ausi sunt; horum dux fuit Jaso, cuius nomen cohaeret cum Jasione, uno e Cabiris, cui eadem quae Cadmilo et Cadmo, Phoenicum illorum duci, tribuebantur munera, servandi scilicet et tutandi naves in omnibus maris periculis (cf. K. Otfr. Mueller, Orchomen. u. d. Minyer p. 265).

Jam transeamus ad eum, ad quem celebrandum totum compositum est carmen, Orpheum. Eius parentes Pseudo-Orpheus v. 77 Oeagrum et Calliopam nominat secutus alios plerosque scriptores (cf. Ap. Rh. 1. 23; Con. narrat. 45 etc.). Pro Oeagro Asclepiades (ap. sch. Ap. Rh. 1.23) Apollinem profert, id quod non effugit Apollodorum *Καλλιόπης καὶ Οἰάγρου, κατ᾽ ἐπίκλησιν δὲ Ἀπόλλωνος* Orpheum dicentem (1. 3. 2). Mater a nonnullis traditur fuisse Polyhymnia, qua re probari puto unam ex Musis, non Pieri filiam eam fuisse (cf. Paus. 9. 29. 3; 30. 4). Definite Musam Calliopam intellegit Apollodorus (1. 3. 2), quod Linum et Orpheum Calliopae filios appellat de Musarum liberis agens, et Apollonius (1. 23), quod Musis modo advocatis *αὐτὴν Καλλιόπην* Orpheum peperisse dicit; neque minus Orphicorum auctor, qui v. 252: „*μητρὸς ἐμῆς ἐκέρασσ᾽ εὐτερπέα κόσμον ἀοιδῆς*“ similiaque aliis locis loquentem inducit Orpheum.

Patria Orphei est Thracia; Thrax ipse appellatur a Pausania (9. 30. 4), Thracem eius patrem dicit Apollonius (1. 24). Sed idem Apollonius cum natum eum fingit prope montem Pimpleum (1. 25) et regnantem in Pieria Bistonia, non eam intellexit regionem, quae posterioribus temporibus Thracia nominabatur; nam et Pieria et Pimplea in Macedonia sita est ab Olympo monte septentrionem versus prope sinum Thermaeum (cf. Str. 7 frg. 17; 18; 10. 3. 17; Lolling

in Iw. Mueller, Handbuch d. klass. Altertumswissenschaft 3. p. 223), in iisdem regionibus Mueller quoque (Orch. p. 381) Orphei sedem constituit. Bistoniae autem cognomen Pieriae addidit, quod Thraces ibi habitabant Dionysium et Musas inprimis colentes, qui etiam in Boeotiam ad Helicona montem et in Eleusinias regiones migraverant (Str. 9. 2. 25; 10. 3. 17; Bursian, Geograph. v. Griechenl. 1. p. 237; 261; 264); Bistonia enim pro Thracia dicitur teste scholiasta ad Ap. Rh. 2. 704. Ipsa Bistonum gens ad Nesti fluvii ostium habitabat (Lolling l. all. p. 223); horum et Ciconum, qui in Ismaro monte ad Hebri fluminis ostium pertinente sedes habebant (Lolling l. all. p. 230), imperium Orpheus obtinebat secundum Pseudo-Orphei versum 78. Alia, quae hic ad definiendum Orphei domiciliorum situm profert, loca sunt Haemonii saltus, Strymonii fluctus, Rhodopae valles (v. 79 sq.), Pieria et Libethrorum alta cacumina (v. 50; cf. v. 1375). Sunt igitur plerumque Thraciae partes; nam inter Haemum et Rhodopam Hebrum fluvium, ab Rhodopa ad occidentem et meridiem versus Nestum, ab hoc paribus intervallis distantem in Thracum Macedonumque agro confini Strymonem fluere docet Lolling l. all. p. 229. Sed coniunxit cum his locis Pieriam et Libethra, quae prope Olympum sita erant, unde posterioribus temporibus Thraces expulsi sunt a Macedonibus (Str. 9. 2. 25; 10, 3. 17). Has regiones sine dubio ex Apollonio desumpsit; sed ut orationem variaret suamque iactaret doctrinam, illa Thracicorum montium, fluviorum, gentium nomina admiscuit, aliam eam esse Thraciam, quae sua aetate hoc nomine appellabatur, atque quae Orphei a superioribus patria habebatur, neglegens.

Inter Argonautas, quod Thracia erat gente, primo non afferebatur Orpheus; nam Minyae solum in expeditione interfuisse putabantur et sacerdotis munere apud superiores nunc Mopsum nunc Idmonem nunc Philammonem functum esse admonet Muell. Orch. p. 260. Rationem, cur ille additus sit Argonautis, memoriae prodit secundum Herodorum sch. Ap. Rh. 1. 23: *ὅτι μάντις ὢν ὁ Χείρων ἔχρησε*

μὴ ἄλλως δύνασθαι τὰς Σειρῆνας παρελθεῖν αὐτοὺς Ὀρφέως μὴ συμπλέοντος. Atque ipse Apollonius narrat (1. 32 sqq.): *Ὀρφέα μὲν δὴ τοῖον ἑῶν ἐπαρωγὸν ἀέθλων Αἰσονίδης Χείρωνος ἐφημοσύνῃσι πιθήσας δέξατο.* Hanc rationem Orphicorum auctor, quamquam Chironis apud eum nulla mentio fit, secutus est; nam v. 85 sqq. Iaso Orpheum rogat, ut secum in Pontum naviget et maris itinera monstret sociis, qui illius exspectent testudinem divinamque vocem; profecturos enim eos esse non sine Orpheo, quippe qui iam ad inferos descenderit salvusque reverterit (respicit hoc ad Eurydicam uxorem cantus vi a Plutone recuperatam, quam rem superiore quodam poëmate se enarrasse Orpheus fingit v. 40 sqq.). Sperant igitur Argonautae Orpheum, ut olim testudinis sonu Orci superaverit pericula, ita tum quoque omnia pericula superaturum esse terra marique sibi imminentia, e quibus unum Herodorus l. all. praedicavit, Sirenas. Qua cum spe bene convenit, quod v. 72 Jaso Orpheum adhortaturus invenisse eum dicitur tendentem et praeparantem illam ipsam citharam, in qua tantam omnes posuerant fiduciam.

Nunc convertamus nos ad ipsum Orphici catalogum, ubi primus affertur Hercules (v. 118—121): *πρῶτα δὲ εἶδα βίην Ἡρακλῆος θείοιο, ὃν τέκεν Ἀλκμήνη Ζηνὶ Κρονίωνι μιγεῖσα, ἦμος ὅτε τρισσὴν μὲν ἐλείπετο σείριος αἴγλην ἠέλιος, δολιχὴ δ' ἐπεμαίετο πάντοθεν ὄρφνη.* Quod hic addit, a posteriorum temporum poëtis traditum est: Jovem Solem rogasse, ut unum diem non percurreret caelum, itaque per tres noctes concubuisse cum Alcmena; cf. Apollod. 2. 4. 8: *Ζεὺς διὰ νυκτὸς ἐλθὼν καὶ τὴν μίαν τριπλασιάσας νύκτα* . . . Alii, quos secutus est Orphicus, per triduum eum concubuisse narrant; cf. Stoll in Roscheri lex. myth. p. 246. 61. Apud Apollonium de ea re nihil invenimus.

Post Herculem Orphicus v. 122 ponit *Τῖφυν Ἀγνιάδην, δολιχῆς ἰθύντορα νηός* (cf. v. 491: *Τῖφυς ἰθύντωρ ἀκάτοιο).* De patre huius cum eo concinunt Apollonius (1. 105) et Apollodorus (1. 9. 16), nisi quod apud hunc Tiphys *Ἁγνίου* filius est, sicut apud Valerium quoque (1. 481) Hagniades. Bur-

mann. catal. Argon. plura affert de eius patria; cf. Muell. Orch. p. 45. 4 et p. 264, qui eum ortum censet Siphis sive Tiphis, Thespiensium navium statione (cf. Steph. Byz. s. h. v.; Bursian Geogr. 1. p. 241); quocum convenit Ap. Rh. 1. 105: *Σιφαέα κάλλιπε δῆμον Θεσπιέων* et sch. ib.: *Σῖφας πόλις Βοιωτίας· Ἀπολλώνιος δὲ τοὺς Σιφαεῖς τῶν Θεσπιέων φησίν*. Orphicus de hac re cum memoriae prodit: *Θεσπιέων δ' ὅγε δῆμον ἐφ' ὕδασι Περμησσοῖο ἀγχούρου λαοῖς Σιφαέσι ῥείθρου ἄμειβεν* (v. 123 sq.), mihi quidem videtur imitatus Apollonium non recte intellexisse eius verba, non: reliquit eam Thespiensium finium partem, in qua habitat *Σιφαεὺς δῆμος*, sed: reliquit Thespiensium populum, qui natione sunt Siphaei; addidisse autem Permessum fluvium, quem prope Thespias esse sciebat (cf. Str. 9. 2. 19 et 9. 2. 30; Burs. Geogr. 1. p. 233 et 236). *Λαοὶ Σιφαεῖς* igitur apud eum sunt incolae Thespiarum urbis, Tiphym ipsum usurpat Thespiensem.

Non eandem quidem ab omnibus traditam esse Boeotiae urbem ex eo quoque patet, quod Pherecydes (sch. Ap. Rh. 1. 105; cf. Muell. Orch. p. 264) Tiphym facit *Ποτνιέα*. Potniae oppidum fuit prope Thebas situm (Str. 9. 2. 24 et 9. 2. 31); atque cum Strabo loco priore dicat: *ἔστι δὲ καὶ ἡ Δίρκη κρήνη καὶ Πότνιαι, ἐφ' ὧν μυθεύεται τὰ περὶ τὸν Ποτνιέα Γλαῦκον*, verisimile est conturbatos esse Tiphym et hunc Glaucum Sisyphi filium et Glaucum Anthedonium, quem alii narraverunt fuisse Argus artificem et gubernatorem (Athen. 7. p. 296. A; Muell. Orch. p. 264; cf. Wilisch in Rosch. lex. myth. p. 1689. 53).

Tum profert Orphicus v. 128 Dioscuridas, *Κάστορά θ' ἱππόδαμον Πολυδεύκεά τ'*; de stirpe eorum nihil addit, quippe quae omnibus nota sit. Utrumque Jovis filium dicit Hes. frg. 110 Kink., item Jovis et Ledae Apollod. 1. 8. 2; 1. 9. 16, sed ab eodem 3. 10. 7 Leda una nocte narratur concubuisse et cum Jove et cum Tyndareo, ex hoc peperisse Castorem, ex illo Pollucem; similiter sch. Eur. Orest. 463; cf. Hom. Il. 3. 237; Od. 11. 299; sch. Ap. Rh. 1. 146; ipse Apollonius non satis dilucide distinxit, cum diceret

1. 148: *τοὺς δ' ἦγε* (sc. *Λήδη*) *δόμοις ἔνι Τυνδαρέοιο τηλυγέτους ὠδῖνι μιῇ τέκεν· οὐδ' ἀπίθησεν νισσομένοις. Ζηνὸς γὰρ ἐπάξια μήδετο λέκτρων;* de Tyndaridis loquitur 2. 30; 74; 4. 593; Pollucem 2. 43 appellat Jovis filium.

Pergit Orphicus v. 128: *εἰσενόησα καὶ Μόψον Τιταρῆθεν, ὃν Ἄμπυκι νυμφευθεῖσα Χαονίην ὑπὸ φηγὸν Ἀρηγονὶς ἐξελόχευσε;* hunc praetermittit in catalogo Apollodorus. Apollonius, quod addit ad eius nomen 1. 65 „*Τιταρήσιος*", sicut Orphicus („*Τιταρῆθεν*"), locum significare putandus est, ex quo venit Mopsus; hunc locum nomen accepisse a Titarono quodam, Ampyci patre, concludi potest e sch. Ap. Rh. 1. 65; situm eum fuisse verisimile est in Thessalia, quod Strabo (7 frgm. 15) commemorat Europum fluvium, cuius fontes sint in Titario monte cum Olympo cohaerente, ab Homero nominari Titaresium.

Pater Mopsi apud plerosque Ampycus est sive Ampyx; matrem sch. Ap. Rh. 1. 65 Chloridem*) dicit, quae secundum Tzetzam (ad Lycophr. 881) filia fuit Orchomeni. Hes. scut. 181 affert *Μόψον Ἀμπυκίδην, Τιταρήσιον, ὄζον Ἄρηος;* Martis autem et Chrysae filius est Phlegyas, quo mortuo imperium accepit Chryses, Chrysogeniae filius, Chrysae sororis; Chryses avus est Orchomeni (Paus. 9. 36. 1—6; Muell. Orch. p. 134). Altera fortasse viguit genealogia, qua Orchomenus usurpatus est non solum cognatus filio Martis, sed ipse ortus a Marte; itaque epitheto *ὄζος Ἄρηος* matris Mopsi proavus significatur**); atque dubito an huius-

---

*) Chloridem Tiresiae vatis filiam sunt qui dicant (sch. Pind. Pyth. 4. 3; Nem. 9. 61); itaque confudisse hunc Mopsum scriptores cum Tiresiae quodam filio aut nepote coniciunt Burmann. et Muell. Orch. p. 260.

**) *ὄζος Ἄρηος* hoc loco cognomen putari posse fortium virorum stirpis non inserta notione (cf. Hom. Il. 2. 540 etc.) minime ignoro; sed ita quoque verisimile mihi videtur matris nomen „*Ἀρηγονίς*" ab ea, quam supra commemoravimus, genealogia deductum esse, cum Orphicus parum accurate, ut saepius, imitatus superiorum narrationem conturbaverit Chrysogeniam, Orchomeni proaviam, et Chrysam eius sororem, quae quidem filium habuit ex Marte.

cemodi quicquam insit in matris nomine, quo Orphicus utitur, *Ἀρηγονίς* (=*Ἄρηος γόνος*, quae a Marte stirpem repetit).

Peperit eum mater sub quercu Chaonia (Orph. v. 129); Chaones gens sunt Epirotica, quae ante Molossos imperium obtinebat totius Epirotidis, inter Ceraunios montes et Ambracicum sinum sedes habitantes (Str. 7. 7. 5). Atque non puto poëtam in alia quadam atque in qua ipse postea et pater eius habitabat regione, ad Titaresium scilicet, natum eum esse dicere voluisse, sed rerum geographicarum haud satis peritum Chaones prope Titaresios habitasse opinatum esse, quippe quarum gentium utraque sedes haberet in extrema Graecia septentrionem versus, et variandi tantum causa unum pro altero nomen posuisse. Bursianus quidem (Geogr. 1. p. 24 not. 1) poëtas Romanos Euphorionem secutos epitheto „Chaonius“ usos esse pro „Dodonaeus“, idem p. 23 n. 5 Dodonam in Iliade (2. 750; 16. 234) commemoratam in Thessalia sitam fuisse contendit; cf. Unger, philol. suppl. 2. p. 736.

Quod omnino laudat hanc rem poëta, nescio an id molitus sit, ut similitudo quaedam efficeretur cum partu Apollinis. Nam hunc quoque Latona mater edit sub arbore, quam manibus amplectitur dolorum, quos in puerperio perpetitur, levandorum causa (sch. Ap. Rh. 1. 1131; Aelian. var. hist. 5. 4; cf. hymn. Hom. in Ap. Del. 17 sq. Theogn. 5—6). Cum Apolline autem potuit conferri propter vaticinandi, qua eminuit, artem; unde factum quoque, ut Apollinis diceretur filius, de qua re vide Burm. catal. Argon. Apollonius eius artem denotat his verbis (1. 66): *ὃν περὶ πάντων Λητοΐδης ἐδίδαξε θεοπροπίας οἰωνῶν;* apud Orphicum minus excellet, quod Orpheo inprimis ibi tribuuntur vaticinationes.

Post Mopsum Orphicus v. 130 sq. affert *Πηλέα Αἰακίδην, Αἰγίνης ἀγλαὸν υἱόν, ὃς Δολόπεσσιν ἄνασσεν ἐνὶ Φθίῃ ἐριβώλῳ;* hunc Ap. Rh. 1. 94 et Apollod. 1. 9. 16 enumerant una cum Telamone fratre, de quo Orph. v. 184 tradit: *τόν ῥ᾽ ἐλόχευσεν Αἰάκῳ ἀτρύτῳ κούρη κλυτοῦ Ἀσωποῖο Αἴγιν᾽ ἐν κροκάλῃσιν ἁλιστεφέος Σαλαμῖνος.* De Aeaco eorum patre omnes concinunt, non item de matre; cf. Burm. catal. Arg.

s. v. Peleus. Aeginam cum nominat Orphicus, hanc, quae mater fuit Aeaci secundum plerosque scriptores (cf. Hes. frg. 96 Kink., sch. Pind. Nem. 3. 21; Apollod. 3. 12. 6), putasse videtur eius uxorem, fortasse falso interpretatus locum auctoris cuiusdam huiuscemodi: *Τελαμὼν καὶ Πηλεὺς παῖδες Αἰακοῦ τοῦ Διὸς καὶ Αἰγίνης τῆς Ἀσωποῦ.* Sed potest etiam ex antiquioribus hoc desumptum esse fabulis; Hesiodus enim (frg. 100 Kink.) Menoetium Pelei fuisse dicit fratrem; Menoetium autem Actori peperit Aegina (Pind. Ol. 9. 105).

Pelei matrem Endeidem Scironis filiam, Telamonem amicum tantum eius et Actaei Glaucaeque filium fuisse secundum Pherecydem refert Apollod. 3. 12. 6; Iliadis quoque auctori tale quid ante oculos versatum esse demonstrat Woerner in Rosch. lex. myth. p. 110. 60. Paus. 2. 29. 9 Aeaco filios narrat ex Scironis filia fuisse Telamonem et Peleum, e Thetidis sorore Phocum; hunc a Peleo matris suae gratia interfectum esse, quamobrem et illum fugisse et Telamonem, qui se contulerit in Salamina. Hoc idem commemorat Ap. Rh. 1. 91, qui propter Phoci caedem procul ab Aegina eos habitasse dicit, Telamonem in insula Atthide (i. e. Salamine, sch. ib.), Peleum in Phthia. Sic Orphicus quoque v. 131 de Peleo tradit; nam Dolopes subiectos fuisse Phthiotis ex Hom. Il. 9. 484 colligit Bursian. Geogr. 1. p. 86; cf. Str. 9. 5. 11. Sed de Telamone cum loquitur, rursus inducitur in errorem; nam quod ille ad Argonautas venit e Salamine et in hac insula posterioribus temporibus concelebratus est (cf. Eur. Tro. 799; Soph. Ai. 135), in hac eum natum esse dicit; minime autem dubitandum est, quin et ille et Peleus frater nati sint in Aegina, ubi Aeacus eorum pater regnabat.

Τρισσὴν δ' Ἑρμείαο κλυτὴν εἰσέδρακα γένναν, Αἰθαλίδην, ὃν ἔτικτε περικλυτὴ Εὐπολέμεια, Μυρμιδόνος θυγάτηρ, Ἀλόπῃ ἐνὶ πετρηέσσῃ· ἠδ' Ἔρυτον καὶ καλὸν Ἐχίονα, τούς ποτε νύμφῃ Λαοθόῃ Μενετοῖο παρευνηθεὶς ἐλόχευσε Κυλλήνης μεδέων χρυσόρραπις Ἀργειφόντης (Orph. v. 132 sqq.). Pro Eryto codd. Ask., Chiv., Ruhnk., Aug. exhibent *Εὔρυτον*, iidem *Ἐγχίονα*, utrumque metri causa mutandum, praesertim cum etiam

Ap. Rh. 1. 52 et Pind. Pyth. 4. 179 utantur forma *Ἔρυτον* et *Ἐχίονα;* Euryti, quem solum affert Apollod. 1. 9. 16, nominis forma videtur orta esse ex perturbatione quadam, quia complures in Graecorum fabulis laudantur Euryti, de quibus cf. Burm. catal. Arg.; haec forma a Latinis quoque poëtis usurpata est.

Eryti et Echionis matrem Orphicus nominat Laothoam Meneti filiam, sed. Ap. Rh. 1. 56 Antianiram Meneteidem; itaque ab antiquioribus de duabus varie videtur traditum esse Meneti filiabus, quarum alterutri concubuit Mercurius, et varios auctores hac in re secuti sunt Apollonius et Orphicus, nisi forte rectius diversitatem ortam esse putamus ex Orphici neglegentia, de qua infra referemus (ad Orph. v. 187—191). Aethalidem vero uterque tradit Mercurio peperisse Eupolemiam Myrmidonis filiam; Phthiadem eam fuisse idcirco addere potuit Apollonius, quod in Phthia Myrmidones sedes habebant, cf. Str. 9. 5. 9.

Transeamus nunc ad Alectoridem sequentes Hermannum, qui apud Orphicum v. 138 *αὐτὰρ Ἀλεκτορίδης* restituit pro codicum lectione: *αὐτίκα δ' Ἀκτορίδης.* Actorides enim inter Argonautas aut Menœtius Actoris filius est aut Eurytio Iri filius Actoris nepos; cf. sch. Ap. Rh. 1. 71; Eurytionem autem Orphicus affert v. 179, Menœtium v. 192. Sed Argus, quem interfuisse in expeditione apparet e v. 238, 274, 606, 1098, non esset in enumeratis, nisi in hoc versu inesse eius nomen putaremus. Arestorem quidem patrem Argi usurpat Ap. Rh. 1. 325; Tzetz. ad Lycophr. 883 eum dicit *Ἀρέστορος ἢ Ἀλέκτορος* filium. Item Arestoris et Mycenae Inachi filiæ Argus filius est apud Telegoniæ auctorem (frg. 1, cf. Hes. frg. 156 Kink.); hunc autem Argum eum putandum esse, qui Io custodire ab Junone est iussus, apparet ex Apollod. 2. 1. 3. Itaque Apollonius superiorum fortasse exemplum secutus confudisse videtur navis architectum et illum Panoptam; cf. Engelmann in Rosch. lex. myth. p. 539. 52 et 538. 27; nam Ap. Rh. 1. 324, cum Argus ad navem degreditur, dicit: *δέρμα δ' ὁ μὲν ταύροιο ποδηνεκὲς ἀμφέχετ' ὤμους Ἄργος Ἀρεστορίδης λάχνῃ μέλαν.*

Similia de Argo Panopta tradit Apollod. 2. 1. 2 et sch. Eur. Phoen. 1116.

Apud Orphicum vero quod restituit Hermannus, id dubito an ad vetustiorem revocandum sit opinionem. Alector enim Iphidis quoque pater est, Apollod. 3. 6. 2; Paus. 2. 18. 4; in Iphide autem vim quandam inesse symbolicam, quae pertineat ad aestus maritimos, conicit Pottius (Kuhns Zeitschr. 9. p. 185 sq.). Atque cum Iphis Anton. Liber. c. 17 vocetur Leucippus, quod nomen Pottius l. all. interpretatus „albis equis praeditus" refert ad undas albentes, Argi fortasse nomini eiusdemmodi aliquid subest, ita ut cohaereat cum adiectivo ἀργός (= candidus) et significet numen quoddam vel hominem, qui versatur in mari fluctuum tumore albescente. Tali homini quod praecipuae partes in iis tributae sunt narrationibus, quibus prima concelebrabatur navigatio (cf. p. 3), nihil habet mirabile; quocum convenit, quod ab aliis filius fuisse traditur Danai, qui primam secundum nonnullos construxit navem (sch. Ap. Rh. 1. 4), et Argiae, quae filia usurpatur Oceani et Tethyos; cf. Hygin. fab. 14. p. 41; praef. p. 28. Neque minus ad probandam hanc rem confert, quod Athen. 7. 296 A aedificantem navem, eodem igitur quo alii Argum munere fungentem facit Glaucum, qui item est deus marinus (cf. p. 6).

Atque altero quoque fabularum genere ad ea, quae in rerum natura fiunt, revocando (cf. p. 3) Argus affertur, Phrixi filius, cuius nomine albas nubes significari contendit Pottius (Kuhns Zeitschr. 9. p. 413). Qua re non solum ut magis magisque Argi persona conecteretur cum Argonautarum expeditionis fabula effectum est, sed etiam ut permiscerentur res, quae de alterutro narrabantur; ita ut minime dubitandum esse censeat Muell. Orch. p. 260, quin navis architectus sit non Argus Argivus, Arestoris filius, sed Orchomenius filius Phrixi; cf. sch. Ap. Rh. 1. 4 et Apollod. 1. 9. 16*), qui Phrixi filium in eorum numero nominat, qui

*) Apollodori loco probari puto Hermanni emendationem; ibi enim tertio post Argum loco affertur Leitus Alectoris filius. Leitus Argonautarum expeditioni apud ceteros non interest, sed bello

Jasonis hortatu ad expeditionis pericula subeunda convenerunt.

Restat, ut quaeramus, cur in catalogo Orphicus v. 138 ad Alectoridis nomen nulla alia de eo mentione facta addiderit: *καὶ βούφαγος ἦλθε Κόρωνος*. Plerumque enim poëta plura adiungit de singulorum stirpe, patria, factis; in uno versu de pluribus non loquitur nisi v. 127, 135, 148, 180/81, 216, ubi conectuntur fratres; atque etiam v. 193 Oileo, qui coniungitur cum Menoetio, hoc quidem cum eo commune est, quod ex eadem venerunt regione, Oileus e Locride, Menoetius Opunte e Locridis oppido. Sed nihil eiusmodi intercedit inter Argum et Coronum. Praeterea v. 170 Coronus iterum affertur, si Slothouwerum secuti legimus: *σὺν δ' υἱός;* vulgaris enim lectio *'Ηνειός* inepta est, quod omnino non notus est Caenei filius Eneus nomine. Hermannus legi vult v. 168: *κρατερὸς Πολύφημος* et v. 170: *υἱωνὸς Καινῆος,* puncto post *ἡρώεσσιν* in comma mutato; eandem secutus rationem Abelius legit secundum Wielium: *Πολύφημος ἀγήνωρ, ἠθεῖος Καινῆος*. Sed *υἱωνός* (= nepos) non concinit cum genealogia usitata, qua Elatus et Polyphemi et Caenei pater evadit; verbo *ἠθεῖος* frater quidem utitur fratrem maiorem natu alloquens (Hom. Il. 6. 518; 10. 37; 22. 229); sed non designatur eo consanguinitas, quod primo usurpatum erat pariter ac *φίλος* (= colendus, reverendus). Atque quae v. 171 sqq. de Caeneo narrantur, cui accomodatius ea possunt adiungi quam huius filio? Sic Apollonius quoque, cum de Corono loquitur, ea annectit (1. 59 sqq.). Statuamus igitur de Corono Orphicum locutum esse v. 170; v. 138 vero de Alectoride solo, cuius nomini nonnulla addita erant de eius patria vel de nave eius ope aedificata, fortasse huiuscemodi: *ὑποεργὸς ἐπῆλθεν Ἀθήνης* (cf. Ap. Rh. 1. 226). Haec postea corrupta sunt atque

---

Troiano, et ab Homero (Il. 17. 602) filius dicitur Alectryonis. Itaque fortasse apud Apollodorum primo legebatur *Λήιτος Ἀλεκτρυόνος* atque enumeratus erat non solum Argus Phrixi, sed etiam Alectoris filius; tum propter nominum similitudinem praetermisso altero Argo orta est codicum lectio.

exstant corruptionis vestigia in lectione: *αὐτίκα δ' ἀκτορίδης;* in locum corruptorum vel intercisorum verborum substituta sunt verba: *βούφαγος Κόρωνος*, quorum prius vanum est, quod Herculis solius id est cognomen (cf. Stoll in Rosch. lex. myth. p. 834. 18); et *Κόρωνος* nomen ut insereretur, eo effectum est, quod v. 170 lectione *σὺν δ' υἱός* mutata in *Ἠνειός* Coronus, quem attulit Ap. Rh. 1. 57, desiderabatur in Orphici catalogo.

Ἴφικλος αὖ Φυλάκου δῖον γένος ἀντεβόλησε (Orph. v. 139). Iphiclum cognatione proximum fuisse Jasoni annotat Burm. in catal. Arg., de qua re Ap. Rh. 1. 46 haec profert: *μήτρως Αἰσονίδαο· κασιγνήτην γὰρ ὄπυιεν Αἴσων Ἀλκιμέδην Φυλακηΐδα.* Parentes eius sch. Ap. Rh. 1. 45 Clymenam nominat Minyae filiam et Phylacum, Nostorum auctor (frg. 4 Kink.) Clymenam et Cephalum. Cephalus autem, sicut Phylacus, filius est Deionis secundum Apollodorum (1. 9. 4); etiam sch. Harl. ad Od. 11. 326 Phylacum Iphicli patrem filium fuisse tradit Deionis sive Deionei, sed secundum Eust. ad Il. p. 323. 41 ille Phylacus filius est Iphicli, cuius pater Phylacus Phylacae oppido nomen indidit. Atque hunc Phylacum Apollonius quoque videtur respexisse, cum 1. 45 ex oppido Phylaca Iphiclum ad Argonautas venisse tradiderit. Orphicus utrum ab hoc an a Deione ortum putaverit Phylacum, quem dicit patrem Iphicli v. 139, non satis perspicuum est; nam „*δῖον γένος*" in utrumque accidit, quod Deio quoque filius est Aeoli, sicut Phylacus ille *εἷς τῶν Αἰολιδῶν* (Apollod. 1. 7. 3); sed verisimilius idcirco *δῖον γένος* vocatur, quod Clymena mater genus deduxit ab Neptuno (sch. Ap. Rh. 3. 1094; sch. Pind. Pyth. 4. 120).

Βούτης τ' Αἰνιάδης, ἴκελος χρυσάορι Φοίβῳ (Orph. v. 140). Is et apud Apollodorum (1. 9. 16) et apud Apollonium (1. 95) filius est Teleontis venitque *Κεκροπίηθεν*, i. e. *Ἀθήνηθεν;* solum eum Sirenum carminibus allectum in mare se praecipitasse, sed a Venere servatum et Lilybaeum allatum esse narrant Ap. Rh. 4. 919; Apollod. 1. 9. 25. Haec addita videtur fabula, quod Siculi Venerem tradebant Erycem peperisse in Sicilia e Buta quodam indigena (Diod.

4. 23. 2; 83. 1). Simul hic Butes confusus est cum Pandionis filio Atheniensi, cui eadem quae Teleontis filio mater est Zeuxippa; cf. Engelmann in Rosch. lex. myth. p. 837 et 838. Is secundum Apollodorum (3. 15. 1) sacerdotio praeest Neptuni; itaque Neptuni filius a nonnullis putabatur (Engelmann l. all. p. 838. 9). Orphicus quod profert de eius stirpe: *Αἰνειάδης*, id Muell. Orch. p. 185. n. 4 mutari vult in *Αἰγείδης*; equidem nescio an insit quicquam desumptum e vetustioribus fabulis. Butae enim eiusque fratris Erechthei nomine significari rem boariam et agri culturam, Zeuxippae matris eorum nomine iugatricem solis equorum censet Pottius (Kuhns Zeitschr. 9. p. 410); itaque legendum fortasse *Αἰνείδης* ab *Αἰνεύς* derivatum; de hoc autem Aeneo similia fortasse tradebantur atque de eo, qui Ap. Rh. 1. 948 et Orph. 503 nominatur pater Cyzici, filius Apollinis et Stilbae (*στίλβη* = Glanz). Quocum convenit, quod Orph. v. 140 hunc Butam Apollinis nepotem similem fuisse dicit Phoebo aureis armis ornato; atque cum ii, quos Orphicus hic secutus est, nondum confuderint Atheniensem et Erycis illum patrem, omnino apud Orphicum deest Sicula, quam supra memoravimus, fabula.

Κάνθος δ' Εὐβοίηθεν Ἀβαντιάδης ἐπέρησεν, ὃν δὴ μοῖρ' ἐδάμασσε, τέλος δ' ἐπέθηκεν ἀνάγκη, φθίσθαι ὑπὲρ Λιβύης, νόστον δ' οἴκοιο λαθέσθαι (Orph. v. 141 sqq.). Canthum omittit in catalogo Apollodorus; Orphicus in iis, quae de eo tradit, pendere videtur ex Apollonio (1. 77); nam hic eandem, sed paulo copiosius, profert stirpem et eadem de futura eius sorte praecinens addit. Haec minime accommodata sunt Orphici narrationi; nam Apollonius quidem 4. 1489 Canthum refert a Cephauro, cum eius oves abigere voluisset in Libya, interfectum esse; apud Orphicum vero non amplius exponitur, quod v. 143 breviter commemoratum erat, sed ne veniunt quidem in Libyam Argonautae e Colchide redeuntes.

Ἄλκωνος δὲ Φάληρος ἀπ' Αἰσήποιο ῥοάων ἤλυθεν, ὃς Γύρτωνος ἁλιστεφὲς ἔκτισεν ἄστυ (Orph. v. 144—145). Hunc quoque omittit Apollodorus; Orphicus et Apollonius consentiunt de eius patre Alcone, sed minime de eius patria.

Orphicus enim Gyrtona eum condidisse refert, quae urbs secundum Strabonem (7. frg. 14) ad Peneum sita est aliquantum remota a maris litore (cf. Burs. Geogr. 1. p. 65), non apte igitur vocatur mari circumdata. Atque quod Ap. Rh. 1. 96 Cecropia eum venisse tradit, confudisse mihi videtur Orphicus duos Phaleros. Unus erat Atheniensis, Erechthei nepos (sch. Ap. Rh. 1. 97); huic Athenienses in Phalero portu aram exstruxerunt (Paus. 1. 1. 4); hic fortasse Phalerum vicum condidisse putabatur. Alter autem Phalerus erat e Lapitharum gente, sicut alii plerique expeditionis participes; is primo cum Argonautis iter fecisse tradebatur, alter ab Atheniensibus inter eos receptus est; cf. Paus. 1. all.: *τοῦτον τὸν Φάληρον Ἀθηναῖοι πλεῦσαι μετὰ Ἰάσονός φασιν ἐς Κόλχους.* Crebro autem Athenienses cum Lapithis conexos esse inde potest colligi, quod Hippodamia Pirithoi coniux ab aliis usurpatur filia Butae, quocum Phalerum illum venisse tradit Ap. Rh., ab aliis Atracis (Diod. 4. 70. 3), qui nomen indidisse putandus est Atraci oppido ad Peneum in eadem qua Gyrto regione sito (Str. 9. 5. 19; 20; Muell. Orch. p. 194. n. 7; Burs. Geogr. 1. p. 66). Phalerum una cum Caeneo, Pirithoo etc. contra Centauros dimicasse Hesiodus ait (scut. 180); Centauris domitis Gyrtona a Lapithis expugnatam esse tradit Str. 9. 5. 19; itaque legisse apud alios Orphicum verisimile est Phalerum venisse ex oppido Gyrtone. Sed apud alios Phalerum vicum mari adiacentem a Phalero quodam conditum esse cum invenisset, commiscens has duas inter se diversas opiniones condidisse eum dixit *Γύρτωνος ἁλιστεφὲς ἄστυ.*

Minime autem explicari potest, quid sibi velint verba: *ἀπ' Αἰσήποιο ῥοάων ἤλυθε.* Aesepus enim flumen est, quod oritur in Ida monte (Hom. Il. 2. 824; 12. 21; Str. 13. 1. 43) secernitque Mysiam et Troadem (sch. Ap. Rh. 1. 1115; Str. 12. 4. 6). Hoc Mysiae flumen non convenit loco allato; aut corrupta est lectio aut falso poëta Aesepum posuit pro Peneo, qui prope Gyrtona, aut pro aliquo Atticae fluvio, qui prope Phalerum vicum fluit. Annotandum videtur, quod infra quoque (v. 195) in optimis codicibus legitur:

παρ' Αἰσήποιο ῥοῇσι; ibi restituitur: *'Ασώποιο,* hic dubito an substituendum sit Ilissus flumen, de quo poëta loquitur v. 220.

Ἴφιτος αὖ μετὰ τοῖσιν ἐφέσπετο Ναυβόλου υἱός, Φωκίδος ὅς ῥ' ἤνασσε καὶ εὐπύργοιο Ταναγρης (Orph. v. 146—147). Naubolum eius patrem omnes nominant; matrem Perinicam Hippomachi filiam sch. Ap. Rh. 1. 207. Ipsum Naubolum Ornytidem appellat Ap. Rh. 1. 207; de Ornyto sive Ornytione cf. Paus. 2. 4. 3; sch. Eur. Or. 1094; Muell. Orch. p. 130; Burm. in catal. Arg. s. v. Iphitus; is Sisyphi filius est et pater Phoci, qui expugnata Phocensium terra in ea relinquitur et huic nomen indit; huius Phoci filius fortasse Naubolus est, cf. Paus. 10. 33. 12, qui loquitur de Phocidis urbe *Ναυβολεῖς*.

Itaque cum genus deducat Iphitus a Sisypho, Crethei Jasonis avi fratre, non mirum est, quod hospitio eius Jasonem, cum oraculi consulendi causa Delphos iter faceret, usum esse refert Ap. Rh. 1. 209. Neque minus accommodate huic stemmati dicit uterque poëta e Phocensibus eum venisse, sicut Hom. Il. 2. 517 Schedium et Epistrophum Iphiti Naubolidae filios inter Phocenses regnasse tradit; cf. Paus. 10. 4. 2. Orphicus insuper regem eum appellat *εὐπύργοιο Ταναγρης;* Tanagra autem oppidum Boeotiae prope Asopum flumen et Atticae fines situm (Str. 9. 2. 7; Muell. Orch. p. 26; Burs. Geogr. 1. p. 221). Hoc neque a Sisypho una cum Phocide expugnatum neque unquam cum illis regionibus coniunctum erat; itaque aut Tanagrae nomen pro alius oppidi in Phocensium finibus siti nomine posuisse putandus est Orphicus aut falso Tanagram in finibus Tithoreis vel Crisaeis, ubi Phocus sedes habebat (Paus. 2. 4. 3), sitam esse existimavit.

Λαοδόκος, Ταλαὸς καὶ 'Αρήιος, υἱοὶ ἀμώμοι ἦλθον 'Αβαντιάδαι περιώνυμοι, οὓς τέκε Πηρώ (Orph. v. 148—149); sic legendum esse iam vidit Eschenbachius; codices exhibent *Λαοδόμος τ' ἀλαός* vel *τ' ἀγλαός,* hoc metro, illud sensui repugnat; orta videtur haec lectio, quod propter particulam *καί,* qua tertium nomen adiungitur, ad secundum quoque nomen

desiderabatur similis particula. Apollodorus eos omittit; Apollonius (1. 118) non discrepat cum Orphico de eorum matre. Pero filia est Nelei et Chloridis Amphionis filiae (Apollod. 1. 9. 9); id quod breviter attingit Ap. Rh. v. 120—121, copiosius narrant sch. ibid., Hom. Od. 11. 287 sqq., Apollod. 1. 9. 12; Paus. 4. 36. 2: pater ei filiam se daturum esse enuntiaverat, qui sibi attulisset boves Iphicli; Melampus hoc conatur perficere Biantis fratris sui gratia, sed captus est neque prius quam annum apud Iphiclum degit boves accepit; tum Bianti Pero nupsit. Biantis omnes appellant Pero uxorem; ita Talaus fratresque ab Apollonio dicuntur *υἷε Βίαντος*, solo ab Orphico *Ἀβαντιάδαι.* Affert Burm. in catal. Arg. s. v. Areius varias, quibus explicari possit haec diversitas, rationes; ad locos ibi allatos addi potest Apollod. 1. 9. 13, ubi Talaus uxorem duxisse traditur Lysimacham, filiam Abantis Melampodi filii; nam hoc quoque, ut ceteris locis, adduci potuit Orphicus, ut confunderet Biantem et Abantem. Non patronymicum, sed gentile esse illud „*Ἀβαντιάδαι*“ censuit Eschenbachius; sed neque ex Euboea, cuius insulae incolae vocantur Abantes (Hom. Il. 2. 536; Burs. Geogr. 1. p. 165; 2. p. 403), venerunt ad Argonautas*) neque aptum videtur *υἱοὶ ἄμωμοι* absolute usurpatum non patre quoque, cuius filii essent, nominato. Burmanno quidem verisimillimum videtur Orphicum illos secutum esse, qui Biantis matrem fecerunt Idmonam Abantis filiam (cf. Apollod. 2. 2. 1), ita ut ab avia, quae Abantis filia erat, ipsi vocari potuerint Abantiadae. Sed fortasse non nisi levitas scriptoris intercedit, qui parum accurate *Ἀβαντιάδαι* posuit pro *Βιαντιάδαι* (cf. Ap. Rh. 2. 63: *ἠδὲ Βιαντιάδης Ταλαὸς μέγας*).

Ἀμφιδάμας δ' Ἀλέου πάϊς ἤλυθε· πέμψε γὰρ αὐτὸν ἴφθιμος γενέτης Τεγέης ὅρια προλιπόντα (Orph. v. 150—151). Is omittitur ab Apollodoro, qui Cepheum solum eius fratrem affert; *Ἀμφιδάμας* legendum esse iam Gesnero videbatur; falsa lectio

*) Argivum Talaum dicit Paus. 1. 6. 6; idem 2. 21. 2 sepulcrum eius esse Corinthi.

Ἰφιδάμας orta est ex insequentis versus initio *ἴφθιμος* (cf. Wellauer ad Ap. Rh. 1. 161). Apollonius quoque formam *Ἀμφιδάμας* usurpat; idem de ceteris rebus concinit cum Orphico: Arcadem enim eum appellat, qui possideat Tegeam et heredium Aphidantium, filium Alei. Hunc Aleum Tegeam condidisse refert Paus. 8. 23. 1; 53. 10; filium eum fuisse Aphidantis, Arcadis filii, Apollod. 3. 9. 1. Alia, quae annotanda videntur, infra exponentur (ad Orph. v. 197).

Ἤλυθε δ' Ἐργῖνος Βράγχου πολύπυρον ἄρουραν ἐκπρολιπὼν καὶ τύρσιν ἐρυμνῆς Μιλήτοιο, ἔνθα ῥοαὶ κλύζουσι πολυπλανέος Μαιάνδρου (Orph. v. 152—154). Branchi eum filium esse falso ab Eschenbachio aliisque ex Orphici loco colligi, qui vertendus sit: linquens terram Branchi, i. e. Miletum, annotat Burm. in catal. Arg. A Brancho enim Didymis, in oppido prope Miletum sito, Apollinis templum consecratum est, quam ob rem in hymno Orphico 34. 7 Apollo invocatur: *Βράγχιε καὶ Διδυμεῦ;* cf. Str. 14. 1. 5. Milesium Apollonius quoque (1. 186) eum appellat; idem, sicut Apollod. 1. 9. 16, sch. Pind. Pyth. 4. 61, filium Neptuni. Sed Pind. Ol. 4. 17 cum Clymeni filium a Lemniadibus derisum esse fingit, alium cum Argonautis navigasse Erginum videtur censuisse. Erat enim Erginus, Orchomeni rex, filius Clymeni et Buzygae (sch. Ap. Rh. 1. 185); is sine dubio primo expeditionis particeps fuisse putabatur, quod ex Minyarum gente magnam Argonautarum partem ortam esse apparet ex Ap. Rh. 1. 229 neque ab initio verisimile est huic primae Graecorum navigationi homines interfuisse creditum esse, qui ex alia terra, non ex ipsa Graecia, venissent; cf. Muell. Orch. p. 262. Atque dubito an Orphicus, qui ceterorum plerisque patrum apposuit nomina, hoc de Ergino agens idcirco omiserit, quod Neptunum apud alios, apud alios Clymenum invenerit nominatum esse, in patria autem describenda eos secutus sit, quorum plurimum valebat auctoritas. Neque minus huius rei id mihi videtur documentum esse, quod v. 202 sqq. tres filios Neptuni coniunctos inter se affert, Erginum vero, quem Apollonius una cum Euphemo et Ancaeo nominavit, ab iis secernit.

Ἐν δὲ Περικλύμενος Νηλήιος εἰσαφίκανεν, ἀγχόθι Παλλήνης τε καὶ εὐύδροιο Λιπάξου ἄστυ λιπὼν ἀφνειὸν ἐλειονόμους τε Κολώνας (Orph. v. 155 — 157). Ab omnibus hic dicitur filius Nelei excepto fortasse Pindaro, qui Pyth. 4. 175 eum Euphemo coniungens Neptuni filium credidisse videtur Burmanno. De Neptuni filio Periclymeno, qui bello Thebano Parthenopaeum interemit, loquuntur Eur. Phoen. 1151; Apollod. 3. 6. 8; Argonauta autem nepos est Neptuni, cum Tyro Salmonei filia Neleum e Neptuno enisa esse referatur a Telegoniae auctore (frg. 1 Kink.). Nomen eius aptum esse huic genealogiae censet Pottius (Kuhns Zeitschr. 9. p. 203; Philolog. suppl. 2. p. 275): ortum enim id esse e *περικλύζω* et conferendum cum Neptuni cognomine *Προσκλύστιος*, quo fluctus in litora se illidentes significentur; in matris quoque Chloridis nomine inesse *χλωρὸν ὕδωρ*. Neptunum eum et robore ornasse et munere, ut in varias se posset convertere figuras, addit Ap. Rh. 1. 158; de quā re cf. sch. ib.; Apollod. 1. 9. 9; 2. 7. 3; Hes. frg. 31 Kink.; Euphor. frg. 77 Mein.

Hunc Periclymenum Pyli natum esse Apollonius, Colonis ex urbe prope Pallenam et Lipaxum sita venisse Orphicus refert. Pylum Neleus e Thessalia a Pelia fratre eiectus condiderat (Muell. Orch. p. 255; Od. 11. 257; Apollod. 1. 9. 9); ipse sepultus erat Corinthi (Eumel. frg. 5 Kink.); filii eius omnes praeter Nestorem Pyli interficiuntur ab Hercule (Hes. frg. 32 et 33 Kink.; Apollod. 2. 7. 3). Eam autem, in qua Nestor regnaverit, Pylum in Messenia sitam fuisse demonstrant Bursian, Geogr. 2. p. 177 et Lolling in Iw. Mueller, Handb. d. klass. Altertumsw. 3. p. 187; quam ob rem Periclymenum non verisimile est habitasse in uno ex iis oppidis, quae Colonas appellata affert Str. 13. 1. 9. Hermannus quidem Orphicum hic secutum esse censet auctorem, cuius non exstent opera; sed mihi videtur imitatus esse Homeri Iliadis locum 11. 711—12. Ibi enim Nestor, cum de Pyliorum contra Epeos bellis narrat, his utitur verbis: *ἔστι δέ τις Θρυόεσσα πόλις, αἰπεῖα κολώνη, τηλοῦ ἐπ' Ἀλφειῷ, νεάτη Πύλου ἠμαθόεντος.* Quae hic cum Pylo

coniunguntur loca, ea posuit pro Pyli, quod invenit apud Apollonium, nomine; sed *Θρυόεσσα* usurpavit pro adiectivi forma (*θρυόεις* = iuncosus) et immutavit in *ἑλειονόμος* simile quiddam significans (cf. Verg. Buc. 1. 48: limoso palus obducat pascua iunco); *αἰπεῖα κολώνη* autem existimavit oppidorum nomina. Affirmari potuit eius opinio, quod in Messenia sita erat et *Αἴπεια*, quo nomine Thuriam vel Methonam a nonnullis appellatam esse dicit Str. 8. 4. 5 (cf. Burs. Geogr. 2. p. 168 et 172), et *Κολωνίδες* (cf. Paus. 4. 34. 8; Burs. Geogr. 2. p. 173; Lolling l. all. p. 189), cuius nominis forma fortasse adductus est, ut ipse quoque poneret pluralem *Κολῶναι*.

Sed alia intercessit confusio; puto enim cum Schneidero in *ἀφνειόν* inesse nomen *Ἀλφειόν*. Hoc quoque Orphicus invenit in Homeri loco, sed cum suos componeret versus, verba inter se permutavit; ita primo legebatur: *ἀγχόθι Παλλήνης τε καὶ εὐύδρου Αἰπείης ἄστυ λιπὼν Ἀλφειὸν ἑλειονόμους τε Κολώνας*. Pallena ea videtur esse, quae Pellana et Pellena quoque vocatur, haud procul ab Alphei fluminis fontibus in agro confini Arcadiae, Laconicae, Messeniae sita (cf. sch. Ap. Rh. 1. 177; Xen. Hell. 7. 5. 9; Str. 8. 4. 4; Lolling l. all. p. 181). Sed quia notior erat Pallena Thracia et ab Herodoto (7. 123) in numero oppidorum *προσεχέων τῇ Παλλήνῃ, ὁμουρεουσέων δὲ τῷ Θερμαίῳ κόλπῳ* primo loco allata est *Λίπαξος*, effectum est, ut in illo Orphici versu, postquam *ΕΥΥΔΡΟΥ ΑΙΠΕΙΗΣ* neglegentia quadam mutatum est in *ΕΥΥΔΡΟΙΟ ΛΙΠΕΞΗΣ* (cod. Vrat. exhibet *Λιπέξου*), legeretur: *ἀγχόθι Παλλήνης τε καὶ εὐύδροιο Λιπάξου*.

Ἐκ δὲ λιπὼν Καλυδῶνα θοὸς Μελέαγρος ἔβαινεν, Οἰνεὺς τόν ῥ' ἐλόχευσε καὶ Ἀλθαίη ῥοδόπηχυς (Orph. v. 158—159). De patria eius et parentibus Pseudo-Orpheus concinit cum Apollonio (1. 191) et Apollodoro (1. 8. 1); nonnulli quidem, ut Apollodorus annotat, patrem eius dicunt Martem. Erat autem Mars Meleagri proavus: nam Oenei pater Portheus erat (Hom. Il. 14. 117), quem Martis filium reddidit Nicand. ap. Anton. Lib. 2; Althaeae quoque patrem Thestium Demonica peperit ex Marte (Apollod. 1. 7. 7). Sed verisi-

milius Meleager propter fortitudinem eximiam Marte patre ortus esse putabatur; sic Ap. Rh. 1. 197 Hercule excepto omnibus eum praestiturum fuisse in expeditione annotat, si unum amplius annum in patria remansisset.

Ἴφικλος αὖτ' ἐπέρησε λιπὼν Ἀτρακηίδα λίμνην, σύγγονος Ἀλθαίης· πέρι δ' αὖ τίεν ἔξοχα πάντων εὖειδῆ Μελέαγρον ἰδ' ἀγλαὰ ἔργ' ἐδίδασκεν (Orph. v. 160–162). Is ab Apollonio (1. 201), qui eum affert una cum Meleagro et Laocoonte Oenei fratre, *Θεστιάδης* dicitur et ab Apollodoro (1. 9. 16) Thestii filius; idem inest in Orphici verbis: *σύγγονος Ἀλθαίης*; nam et Althaeam et Iphiclum genuit Thestius (Apollod. 1. 7. 10). Mater eius Eurythemis Cleoboeae filia est (Apollod. ibid.) vel Deidamia Perieris filia (sch. Ap. Rh. 1. 201); alia collegit Burm. in catal. Arg.

Venit autem Iphiclus secundum Orphicum *λιπὼν Ἀτρακηίδα λίμνην*; neque Apollonius neque Apollodorus de ea re quicquam addunt, putantes nimirum apud sororem Calydone eum habitasse vel apud Thestium patrem Aetoliae regem Pleuroniae (sch. Ap. Rh. 1. 146; Str. 10. 3. 6). Atraceidis paludis in illa regione sitae nulla fit mentio; a Plinio solo (n. hist. 4. 2. 3) Atrax affertur Aetoliae fluvius in mare Ionium cadens et Atraces Aetolorum populus. Sed aliae paludes complures memorantur: Lysimachia vel Hyria inter Pleurona et Arsinoam oppidum (Str. 10. 2. 22) et *Τριχωνὶς λίμνη* (Polyb. 5. 7); cf. Burs. Geogr. 1. p. 135; Lolling in Iw. Muell. Handb. 3. p. 139. Verisimilius huc referri potest Strabonis locus (10. 2. 21): *ἔστι δέ τις καὶ πρὸς τῇ Καλυδῶνι λίμνη μεγάλη καὶ εὔοψος, ἣν ἔχουσιν οἱ ἐν Πάτραις Ῥωμαῖοι*; hanc paludem ab Eueno fluvio orientem versus sitam esse et nunc a Galata, vico quodam vicino, vocari censet Burs. Geogr. 1. p. 129. Haec igitur fortasse intellegenda est Orphici palus Atraceïs.

Ἀστερίων δ' ἐπέρησε πάις κλείνοιο Κομήτου, Πειρεσίην ὃς ἔναιεν, ἵν' Ἀπιδάνοιο ῥεέθροις Πηνειὸς μίσγων ξυνὸν ῥόον εἰς ἅλα πέμπει (Orph. v. 163–165). Apollonius (1. 35) cum Orphico concinit de patre ac patria, Piresias prope Phylleum montem sitas esse addens, ubi confluant Apidanus et Eni-

peus. Pro Enipeo Orphicum falso posuisse Peneum, quod hic notior ei fuerit, censet Unger in Philolog. suppl. 2. p. 736: sed non hoc quoque ei concedam Orphicum in maris litore illos fluvios confundere credidisse; puto enim *ἵν'* coniunctionem solum ad participium *μίσγων* pertinere et verbum finitum *πέμπει* complendae tantum sententiae causa appositum esse (ad Piresias oppidum Peneus cum suam aquam commiscet aqua Apidani, communem ab hoc oppido suam et Apidani aquam mittit usque ad mare).

Sed pro Asterione Apollod. 1. 9. 16 Asterium affert Cometae filium. Orphico quoque (v. 216) et Apollonio (1. 176) notus est Asterius, qui una cum Amphione fratre venit e Pellena, quam Achaidem esse addit Apollonius conditam ab eorum proavo Pelle; idem filios eos appellat Hyperasi. Asterium autem et Asterionem Unger l. all. p. 740—741 demonstrat eundem primo fuisse; huius patriam fuisse Pellam in Achaia Phthiotide sitam, quam epicus quidam poëta locorum illorum imperitus immutaverit in Pellenam; ita posteriores duos invenisse Asteriones, quorum alterum e Pellena Peloponnesiaca venisse crediderint, alterum, quod ipsis quoque ignota erat Pella, Piresiis, quae in iisdem quibus Pella sitae fuerint regionibus. Idem causas affert, cur alteri frater geminus additus sit et cur pater alterius nominatus sit Hyperasius, alterius Cometes.

Εὐρυδάμας δ' ἐπέρησε λιπὼν Βοιβηίδα λίμνην ἀγχόθι Πηνειοῖο καὶ εὐπελαγέος Μελιβοίης (Orph. v. 166—167). Hunc Apollodorus in Argonautarum catalogo omittit. Patrem eius, de quo non loquitur Orphicus. Ap. Rh. 1. 67 nominat Ctimenum; ab hoc appellata Ctimena, quod oppidum in Dolopum finibus prope Xyniadem paludem situm habitasse Eurydamantem idem refert Apollonius. Sed longe ab hac palude distant ea quae Orphicus affert loca. Nam Xynias quidem prope Othrym ad septentrionem versus (Burs. Geogr. 1. p. 85) sita est, Boebeis autem palus prope Pelium (Str. 9. 5. 15; Burs. Geogr. 1. p. 63 et 103) et in iisdem fere regionibus prope maris Aegei litora Meliboea urbs (Str. 9. 5. 16; Burs. Geogr. 1. p. 99). A Boebeide palude hanc

urbem Pelio, a Peneo flumine Pelio et Ossa montibus secerni annotat Unger in Philol. suppl. 2. p. 735; is Orphicum confudisse censet paludem Xyniadem et Boebeidem, id quod Stephanum quoque Byzantium fecisse commemorat Burs. Geogr. 1. p. 85. n. 1. Mihi insuper videtur Peneum, ut iam v. 165 (cf. p. 22), posuisse pro Enipeo, qui in Othrye monte oritur prope paludem Xyniadem (Str. 9. 5. 6), et Meliboeam substituisse pro Melitea sive Melitaea, cuius per fines fluebat Enipeus (Str. ibid.; Burs. Geogr. 1. p. 85; Lolling in Iw. Muell. Handb. 3. p. 148). Meliboeam autem prope Boebeida sitam esse dubito an idcirco dixerit, quod apud Homerum (Il. 2. 711 sqq.) in navium catalogo eos, qui cum Admeti filio venerant, *οἵ Φερὰς ἐνέμοντο παραὶ Βοιβηίδα λίμνην*, ii subsequuntur, qui Philocteti parebant, *οἵ Μελίβοιαν ἔχον· καὶ Ὀλιζῶνα τρηχεῖαν.*

Αὐτὰρ ἔπειτ' Ἐλάτοιο πάις Πολύφημος ἵκανεν, ὅς σφιν ἐν ἠνορέῃσι μετέπρεπεν ἡρώεσσιν (Orph. v. 168—169). De eius patre cum Orphico concinunt Ap. Rh. 1. 40 et Apollod. 1. 9. 16. Arcadem quidem, Arcadis filium et Eratus nymphae vel Chrysopeliae (cf. Eumel. frg. 15 Kink.) vel Metanirae vel Leanirae (cf. Apollod. 3. 9. 1; sch. Eur. Or. 1647), qui in Phocidem emigravit ibique Elateam oppidum condidit, dicit Elatum Paus. 8. 4. 4; sed hunc iam antiquis temporibus conexum esse cum Elato Lapitha docet Muell. Orch. p. 196. Definite Lapitham designavit Apollonius, cum Polyphemum ex oppido Larissa venisse diceret; Larissam enim Lapitharum urbem fuisse apparet e Str. 9. 5. 19; 20; 22. Hunc Polyphemum omnibus virtute praestitisse laudat Orph. v. 169; id et e nomine eius elucet, quod significat gloriosum (cf. Muell. Orch. p. 197), et exemplo illustratur ab Apollonio (1. 41), qui in memoriam revocat eius cum Centauris pugnas; cf. Hom. Il. 1. 262 sqq.

Ut Meleagrum in expeditione comitatur matris frater Iphiclus (Orph. v. 160), sic cum Polyphemo ad Argonautas venit fratris filius Coronus, si in Orphici versibus 170—174 eam, quam supra p. 12 statuimus, sequimur lectionem: *σὺν δ' υἱὸς Καινῆος ἀφίκετο, τόν ῥά τέ φασι μισγόμενον Λαπίθαις*

ὑπὸ Κενταύροισι δαμῆναι θεινόμενον πεύκῃσι τανυφλοίοις τ' ἐλάτῃσι, καί οἱ ἀνατλῆναι καὶ ἀκάμπεα γούνατ' ἐρεῖσαι, ζωόν τ' ἐν φθιμένοισι μολεῖν ὑπὸ κεύθεα γαίης. De Caeneo idem quod hic Orphicus iisdem fere verbis narrat Ap. Rh. 1. 59—64; euhemeristica ratione id explicare conantur Palaephat. 11; Heraclit. 3; in fabulis vero additur dono ei datum esse a Neptuno, ut armis vulnerari non posset; primo enim eum fuisse puellam, quae a Neptuno amata ipsius rogatu in virum transmutata sit; cf. Hes. frg. 254 Kink.; Anton. Lib. 17; sch. Ap. Rh. 1. 57.

Ipsum Caeneum secundum nonnullos scriptores inter Argonautas fuisse refert sch. Ap. Rh. 1. 57; sic Caeneum Coroni filium in catalogo enumerat Apollod. 1. 9. 16, ubi Clavierus coniecit pro *Καινεὺς Κορώνου* legendum esse *Κόρωνος Καινέως*. Apollonius quoque Coronum Caenei filium dicit, *Καινείδην* eundem Homerus (Il. 2. 746), qui cum Apollonio hoc quoque concinit, quod Gyrtona, unde secundum Apollonium Coronus venit, patriam vocat eorum, quibus praeest Leonteus Coroni filius.

Ἄδμητος δ' ἀφίκανε Φεραιόθεν, ᾧ ποτε Παιὰν θητεύων ὑπόεικε· Διὸς δ' ἠλεύατο μῆνιν, οὕνεκά οἱ Κύκλωπας ἀμαιμακέτοισιν ὀιστοῖς ἐν φθιμένοισιν ἔτευξ' Ἀσκληπιοῦ εἵνεκα λώβης (Orph. v. 175—178). Patrem eius Apollodorus solus nominat, Pheretem Crethei filium; hunc Orphicus et Apollonius (1. 49) eo facilius potuerunt omittere, quod nomen eius inest in oppidi, unde Admetum venisse referunt, nomine. Pherae *εὔρρηνες* dicuntur ab Apollonio; haec gregum opulentia ex quo tempore Apollo eos pavit Admeto contigisse putanda est; cf. Apollod. 3. 10. 4; Val. Fl. 1. 444. Eo pertinent quae Orph. v. 176 sqq. addidit de servitute Paeanis; Paean enim Apollo intellegendus est etiam v. 1356; hymn. 8. 12; 34. 1.

Aesculapius, propter quem in servitute Apollinem fuisse Orphicus tradit, filius eius erat ex Arsinoa Leucippi filia vel ex Coronide Phlegyae filia (Hes. frg. 103; 142; 143). Is, quod Hippolytum vel Glaucum vel Tyndareum aliosque ab inferis suscitaverat vel quod Proeti filias sanaverat, ab Jove irato fulmine percussus est (Hes. frg. 105; Naupact.

frg. 11 et 12; Panyas. frg. 19 Kink.; sch. Eur. Alc. 1; Apollod. 3. 10. 3). Fulmina autem Jovi paraverant Cyclopes (Hes. theog. 141; Ap. Rh. 1. 510; Apollod. 1. 2. 1; Qu. Sm. 14. 446; sch. Ap. Rh. 1. 730); quamobrem Apollo eos interficit, sed Jovi cogitur poenas dare; primo hic in animo habuerat in Tartarum eum deicere; tum autem Latona supplicante id solum ei imposuit, ut unum annum mortali cuidam serviret (Apollod. 3. 10. 4; Hes. frg. 105 a). Alias servitutis causas affert sch. Eur. Alc. 1.; de universa ea re iam superiore carmine se cecinisse Orpheum dicentem fingit poëta v. 21, si sequimur Wielium in observ. in Orph. Arg. p. 34 *θητείαν Τιτῆνος* vel Abelium in editione sua *θητείην Παιᾶνος* conicientem. Videtur igitur haec dei apud mortalem servitus ab Orphicis inprimis celebrata et in mystica fortasse eorum religione tractata esse; si hoc statuemus, non mirabimur, quare Orphicorum auctor semper ut commendaret eiusmodi mysteria molitus inseruerit illam commemorationem quamvis deerrantem ab ipsa Argonautarum fabula.

Ἤλυθε δ' Εὐρυτίων Ἴρου πάις Ἀκτορίωνος, τρηχείην Ὀπόεντα λιπών (Orph. v. 179 sq.). Hunc Apollodorus omittit 1. 9. 16 de Argonautis agens, 1. 8. 3 eum in venatione apri Calydonii interfuisse et a Peleo invito necatum esse refert. Ibi Actoris filius est Phthiotes, apud Orphicum Actoris nepos, Iri filius Opuntius, itemque apud Apollonium; nam hic, etsi non nominat eius patriam, tamen, quod enumerato modo Menoetio Opuntio (1. 69) pergit: *εἵπετο δ' Εὐρυτίων*, ex eadem sine dubio regione eum venisse putat. Hunc Opuntium et Phthiotam illum, de quo Apollodorus loquitur, non eundem esse, sed confusos eos esse a Tzetza (Lycophr. 175) censet Seeliger in Rosch. lex. myth. p. 1434. 60.

Annectit Orph. v. 180—183 Idam et Lynceum, hisce utens verbis: *σὺν δ' ἤλυθεν Ἴδας Λυγκεύς θ', ὃς τήλιστα δι' αἰθέρος ἠδὲ θαλάσσης βένθεα καὶ Πλουτῆος ὑποχθονίοιο βέρεθρα μοῦνος ἀπ' ἀνθρώπων δεινοῖσιν ὀπώπεεν ὄσσοις.* De eorum stirpe plura invenimus apud Burm. in catal. Arg. s. v. Idas; nobis, cum Orphicus nihil eiusmodi tradiderit, satis

sit commemorare patrem eorum esse Aphareum (Ap. Rh. 1. 151; Apollod. 1. 9. 16; Paus. 4. 2. 7), matrem secundum plerosque Arenam, a qua appellatum est oppidum ab Aphareo conditum; quocum convenit, quod ad Argonautas veniunt Ἀρήνηθεν (Ap. Rh. 1. 152). Arena autem in Triphylia sita est (sch. Ap. Rh. 1. 151; Str. 8. 3. 19; cf. Burs. Geogr. 2. p. 282); atque regionem quandam Messeniae vicinam eorum patriam esse ex eo apparet, quod de eorum morte et de regno eorum postea ad Nestorem delato tradunt Paus. 3. 13. 1; 4. 3. 1; Apollod. 3. 11. 2. Sed non potest intellegi, quomodo illi Messenii una cum Eurytione Opuntio, cuius in Locride patria sita est, venire potuerint, sicut narrat Orph. v. 180. Itaque hoc loco, ut infra quoque v. 226, Orphicum imitatum esse statuemus Apolloni descriptionem: quod apud eum (1. 74) ad Eurytionem Oileus, qui ex eadem qua ille venerat regione, adiunctus sit verbis *σὺν καί,* his verbis ipsum quoque usum esse, quamquam Apharetiadas subsequentes facit, quibus nihil commune est cum Eurytione.

Imitatum autem hoc loco Orphicum esse Apolloni versus eo puto demonstrari, quod uterque Idae solum affert nomen epitheto *ὑπέρβιος* (cf. Hom. Il. 9. 558; Antimach. frg. 47 Kink.) ab Apollonio ornatum, Lyncei vero laudat oculorum aciem; neque dubitandum est, quin ab Orphico aliis tantum iisque similibus vocibus relata sint Apolloni verba: *Λυγκεὺς δὲ καὶ ὀξυτάτοις ἐκέκαστο ὄμμασιν, εἰ ἐτεόν γε πέλει κλέος ἀνέρα κεῖνον ῥηϊδίως καὶ νέρθε κατὰ χθονὸς αὐγάζεσθαι.*

De Telamonis, quem insequentibus versibus (184—186) Orphicus affert, stirpe atque patria supra egimus p. 9, cum locuti sumus de Peleo. Apud ceteros cum coniuncti sint duo fratres, quamquam non ex eadem ad Argonautas venerunt terra, hoc loco vel maxime demonstrari puto in enumerandis Argonautis id studuisse Orphicum, ut eum quem apud alios invenisset ordinem perturbaret, ob eamque rem eum secrevisse fratrem a fratre.

Δὴ τότ᾽ Ἄβαντος παῖς νόθος ἤλυθε καρτερὸς Ἴδμων, τόν ῥ᾽ ὑποκυσαμένη τέκεν Ἀπόλλωνι ἄνακτι Ἀμφρύσου παρὰ χεῦμα

Φερητιὰς Ἀντιάνειρα. τῷ καὶ μαντοσύνην ἔπορεν καὶ θέσφατον ὀμφὴν Φοῖβος, ἵν᾽ ἀνθρώποισιν ἀρηρότα μυθίζοιτο (Orph. v. 187—191). Hunc Apollodorus in catalogo quidem (1. 9. 16) omittit, sed nihilominus 1. 9. 23 tradit de eius in itinere decessu; cf. Burm. in catal. Arg., qui plura affert de Idmonis parentibus. Mihi quidem confudisse Orphicus videtur Idmonem, quem Apollo genuit (v. 188; Ap. Rh. 1. 144) cum iis Argonautis, quos genuit Mercurius (v. 132; Ap. Rh. 1. 51; cf. p. 10). Idmonis enim sive Thestoris matrem sch. Ap. Rh. 1. 139 nominat Laothoam; hoc nomen ab Orphico (v. 136) inditum est matri Eryti et Echionis, quos Ap. Rh. 1. 56 filios facit Antianirae; Antianira autem Idmonis mater est secundum Orphicum (v. 189). Amphrysus quoque fluvius, prope quem Antianira Idmonem peperisse dicitur, desumptus esse potest ex Apollonio (1. 54), ubi Aethalides Eryti et Echionis frater ad illum fluvium natus esse narratur; secundum Orphicum vero (v. 134) is natus est Alopae, ex quo oppido Erytum et Echionem venisse tradit Ap. Rh. 1. 51. Permutata igitur inter se et matrum et locorum nomina; sed non omnino inepte in Amphrysi ripa partum edidisse dicitur *Φερητιὰς Ἀντιάνειρα*; nam Amphrysus fluit per Crocium campum inter Othrym montem et Thebas Phthiotidas in litore sinus Pagasaei situm (Str. 9. 5. 14; Burs. Geogr. 1. p. 78); Pherae autem, quas Pheres condiderat (Muell. Orch. p. 256), non procul distabat ab hoc sinu (Str. 9. 5. 15; Burs. Geogr. 1. p. 69; Lolling in Iw. Muell. Handb. 3. p. 149). Itaque Antianira in patrii regni finibus Idmonem peperisse videbatur Orphico; Apollonius autem, cum ex Argo Idmonem venisse dicit (1. 140), vitam eum degisse sine dubio credidit in eius domo, qui vulgo habebatur eius pater, Abantis (cf. Ap. Rh. 1. 142 et Orph. v. 187: *Ἄβαντος παῖς νόθος*). Is enim Argi regnum obtinebat (Apollod. 2. 2. 1; Paus. 2. 16. 2), eique nupta fuisse putanda est illa Antianira Pheretis filia. Ita Apolloni versus (1. 142 sq.): *ἀλλά μιν αὐτὸς γείνατο κυδαλίμοις ἐναρίθμιον Αἰολίδῃσιν Λητοΐδης* referri possunt ad matrem Idmonis, quae quia Pheretis filia, Crethei Aeoli filii neptis

erat, Idmo adnumerandus est Aeolidis. Sed si patrem patrisve stirpem illis Apolloni verbis significari rati ea interpretamur: ita eum genuit Apollo, ut in Aeolidarum numero esset, idcirco scilicet, quod ab Abantis uxore editus Abantis habebatur filius, alius intellegendus est Abas, Melampodis Crethei nepotis (sch. Ap. Rh. 1. 118) filius, quem Argivum dicit Paus. 2. 18. 4. Hanc genealogiam sequitur Schirmer in Rosch. lex. myth. p. 370. 40.

Apollo quod eum genuerat, Idmo sicut alii Apollinis filii vaticinandi praeditus est arte (Orph. v. 190—191; Ap. Rh. 1. 144—145); hac eadem arte eminuisse Mopsum supra vidimus p. 8. Quare, quod Mopsus Ampycis erat filius, facillime fieri potuit, ut librarius quidam vel ipse poëta haud satis diligens falso diceret Ἀμπυκίδην Ἴδμονα; cf. v. 723, ubi Wielius restituit: *Αἰολίδην Ἴδμονα,* Hermannus: *Ἴδμον᾽ Ἀβαντιάδην*; haec lectio, si mutandum esse putemus, praeferenda videtur, quod de Aeolida Apollonius loquitur, non Orphicus, et quod *Ἴδμονα* formam usurpat Ap. Rh. 2. 816, idem 1. 449; 2. 850 genetivi formam *Ἴδμονος*; cf. Ptolem. 5; Val. Fl. 5. 5: Idmŏne; 5. 9: Idmŏnis.

Ἤλυθε δ᾽ αὖ μετὰ τοῖσι Μενοίτιος ἐξ Ὀπόεντος, σύγχορτος Μινύαις· ἔπι δ᾽ ἤλυθε δῖος Ὀιλεύς. (Orph. v. 192—193.) Pater Menoeti, qui ab Orphico non nominatur, secundum Apollonium (1.69) Actor est; eundem Iri patrem fuisse addit sch. Ap. Rh. 1.71. Patria eius et ab Apollonio et ab Orphico Opus dicitur (cf. Hom. Il. 18. 326; 23. 85; Apollod. 3. 13. 8); Opus autem Locridis oppidum est (sch. Ap. Rh. 1. 69; Str. 9. 4. 1; Burs. Geogr. 1. p. 187; Lolling in Iw. Muell. Handb. 3. p. 132). Itaque Oileum quoque e Locride venisse verisimile fit, quod et Orphicus eum una cum Menoetio affert et Apollonius (1. 74) post Menoetium eum collocavit cum Eurytione et Eribota coniunctum. Hoc probatur Strabonis loco (9. 4. 2), ubi legimus: *οὐ μὴν ἐβασίλευέ γε ἐκεῖνος* (sc. Menoetius vel Patroclus eius filius) *τῶν Ὀπουντίων, ἀλλ᾽ Αἴας ὁ Λοκρός, πατρίδος ὤν, ὥς φασι, Ναρύκου.* Aias autem Locrus ab omnibus dicitur Oilei filius (cf. Hom. Il. 13. 203;

14. 446; 16. 330); hic cum notissimus esset, ad patris eius nomen nihil addiderunt poëtae.

Φλίας δ' ἐξίκανε περικλυτός, ὅν ποτε Βάκχῳ νύμφη ὑποκλινθεῖσα παρ' Ἀσωποῖο ῥοῆσι τίκτεν ἄμωμον ἔχοντα δέμας καὶ ἐπίφρονα μῆτιν (Orph. v. 194—196). Hic omittitur ab Apollodoro 1. 9. 16, nisi forte pro: *Φάνος καὶ Στάφυλος Διονυσίου* ibi cum Hemsterhusio legimus: *Φλίας* etc. Apud Orphicum codicum lectionem *Αἰσήποιο* falsam esse iam vidit Eschenbachius (cf. p. 15/16); sine dubio substituendus est Asopus fluvius. Nam ad huius fontes Apollonius quoque (1. 117) Phliantem sedes habuisse dicit et Strabo (8. 6. 24) Asopum oriri ait in Celossa monte, prope quem situm fuerit Araethyrea oppidum. Atque *Ἀραιθυρέηθεν* Phliantem ad Argonautas venisse tradit Ap. Rh. 1. 115; erat autem Araethyrea ea regio, quae Phliasia posterioribus temporibus nominabatur a Phliunte sive Phliante Bacchi filio et Chthonophylae (sch. Ap. Rh. 1. 115; cf. Str. 8. 6. 24; Paus. 2. 12. 5; 6; Burs. Geogr. 2. p. 33 et n. 4; Lolling in Iw. Muell. Handb. 3. p. 162). Nec dubitandum est, quin Chthonophyla sit ea nympha, de qua loquitur Orph. v. 195, licet alii secundum Pausaniae locum allatum matrem Phliantis tradant fuisse Araethyream, Chthonophylam autem, quam Sicyonis filiam reddit Paus. 2. 6. 6, eius uxorem et ex eo Androdamantis matrem.

Κηφεὺς δ' Ἀρκαδίηθε μεθ' ἡρώεσσι πελάσθη (Orph. v. 197); is apud Apollonium (1. 161) frater est Amphidamantis et Lycurgi, apud eundem, sicut apud Apollodorum (1. 9. 16), filius Alei. Sed cum Orphicus iam supra (v. 150) Amphidamantis patrem nominaverit Aleum, mirum videtur, cur secreverit fratres eodem patre genitos. Apollodorus quidem inter eos, qui ad venationem capri Calydonii convenerunt, nominat Ancaeum et Cepheum Lycurgi filios ex Arcadia (1. 8. 2); etiamsi hic locus ut congrueret cum Apollonio, permutatione nominum effecit Clavier, qui legit: *Κηφεὺς καὶ Ἀγκαῖος Λυκούργου,* tamen alius eiusmodi exstat Apollodori locus (3. 9. 2), ubi Ancaeus et Amphidamas Lycurgi filii dicuntur. Videntur igitur nunc Amphidamas nunc

Cepheus, qui secundum alios fuerunt Lycurgi fratres, ab aliis existimati esse eius filii; ita Orphicus quoque nescio an Cepheum putaverit Lycurgi filium et Ancaei fratrem. Quocum bene convenit, quod v. 198 ad eum adiungit Ancaeum, et fortasse τ' particula ab Hermanno immutata in δ', quam in versu 197 codices exhibent, legenda est in versu 198 post Ἀγκαῖον, ita ut etiam artius inter se coniuncti fiant Cepheus et Ancaeus. Hoc si statuimus, Cephei patrem idcirco omisisse poëtam v. 197 possumus arbitrari, quod v. 199 loquitur de eorum patre communi.

Atque in hoc versu alterius quoque cognoscenda sunt confusionis vestigia. Ancaei enim pater Lycurgus non potuit appellari *γηραιός*; quamobrem Hermannus censet Orphicum Apolloni imitatum versum (1. 166) ibi invenisse *γηράσκων* pro *γηράσκοντ'*. Sed nos sic conicimus: Orphicus, qui non Cepheum et Amphidamantem, sed Cepheum et Ancaeum eodem patre ortos usurpat, quod apud Apollonium de duorum patre, Aleo, dictum invenit iam provectum eum tum fuisse aetate, id ipse quoque ei tribuit, quem duos ad Argonautas filios misisse finxerat, ita ut Ancaei et Cephei pater fieret *γηραιός*, Aleus vero, qui apud eum unius Amphidamantis pater est, *ἴφθιμος* (cf. v. 151), sicut apud Apollonium Lycurgus, unius Ancaei pater, grandiorem quidem, sed corroboratam agit aetatem (cf. 1. 165: *τῶν ἄμφω γνωτὸς προγενέστερος*).

His probatis igitur Orphici versus 197—199 sic legendi sunt: *Κηφεὺς δ' Ἀρκαδίηθε μεθ' ἡρώεσσι πελάσθη Ἀγκαῖόν τ' ἀν' ὅμιλον ἀπ' Ἀρκαδίης πολυμήλου πέμψε πατὴρ γηραιὸς ἐπὶ πλόον Ἀξείνοιο.* Ancaeum a patre ad Argonautas missum esse invito avo; hunc, ut eum retineret, occultavisse nepotis arma fingit Ap. Rh. 1. 170: propterea illum venisse ursi pelle amictum et bipennem manu tenentem. Sine dubio Apollonius excogitavit hanc narrationem, ut cur veste et armis tam singularibus ille usus esset exponeret; Orphicus omissa hac explanatione consuetudinem solum eius laudat his verbis: *οὗτος δ' οὔποτε χλαῖναν ἐπὶ στιβαροῖς βάλεν ὤμοις,*

ἀλλ' ἄρκτου λάσιον στέρνοις ἀμπίσχετο δέρμα (v. 200—201); de bipenni non loquitur.

Ab expeditione reversus Ancaeus Arcas in venatione interfuit apri Calydonii ab eoque interfectus est (Apollod. 1. 8. 2; Paus. 8. 45. 7). Sed alter quoque Ancaeus ab apro necatur, id quod narrat Aristot. frg. 571 Rose; propterea, cum praesertim hic quoque Argonautis adnumeratus sit, saepissime inter se confunduntur duo illi Ancaei; cf. Burm. in catal. Arg.; Oertel in Rosch. lex. myth. p. 355. 1. Itaque hoc loco statim agamus de altero Ancaeo, quem Orph. v. 207 affert post Nauplium et Euphemum his usus verbis: *Ἀγκαῖός τ' ἔμολε Πλευρώνιος, ὅς ῥα πορείας οὐρανίας ἄστρων ἐδάη κύκλους τε πλανήτας· δίζετο γὰρ τά τ' ἐόντα τά τ' ἐσσόμεν' ἀνθρώποισιν.* Particula *τ'* nomen Ancaei ad praecedentia verba adiunctum esse, nisi forte hoc ortum credimus propter lectionem *Ἀγκαῖός τ'* supra in v. 198 restituendam (cf. p. 30), idcirco videtur, quod et Euphemus, de quo superioribus versibus agitur, et Ancaeus filii putabantur Neptuni. Sic enim Apollonius tradit (1. 188); neque minus Apollodorus, quamquam eum, quem affert 1. 9. 16, Ancaeum Lycurgi filium facit, tamen, quod eum collocat inter Meleagrum et Euphemum, sicut hunc Apollonius, et quod 1. 9. 23 Ancaeum promisisse narrat se esse navem gubernaturum, id quod ceteri Neptuni filium fecisse referunt, hunc videtur respexisse. Pepererat eum Neptuno Astypalea (Ap. Rh. 2. 866); itaque idem est, quem Asius (frg. 7 Kink.) Lelegum dicit regem, qui e Samia Maeandri filia genuerit Perilaum, Enudum, Samum, Alithersam, Parthenopam. Hanc Asi genealogiam cum proferat Pausanias (7. 4. 1) de Samo insula agens, Ancaeum in Samo habitasse videtur putavisse; neque repugnat Apollonius, qui 2. 866 ad Imbrasi fluctus eum natum esse et 1. 187 eum Partheniam, Imbrasiae sedem Junonis, reliquisse narrat. Partheniam enim Samum insulam nominatam, Imbrasum, qui Parthenius quoque appelletur, fluvium in hac insula esse tradunt sch. Ap. Rh. 1. 188; 2. 867; Str. 10. 2. 17; 14. 1. 14 (cf. Lolling in Iw. Muell. Handb. 3. p. 242).

Samius igitur fuit Ancaeus; sed quid sibi vult Orphicus Pleuronium eum reddens? Recte Unger in Philol. suppl. 2. p. 736 idcirco id fecisse censet poëtam, quod meminerit Ancaei Pleuronii ab Homero (Il. 23. 635) nominati; ibi Nestor narrat Ancaeum Pleuronium *πάλῃ* a se victum esse, cum Epei Amaryncеum sepelirent. Hunc locum iam Quintus Smyrnaens respexit (4. 311), qui Nestorem dicentem finxit, cum Peliae agerentur ludi funebres, *ἐν παλαισμοσύνῃ* ne Ancaeum quidem certare ausum esse, quippe quem antea iam superavisset in Epeorum terra post mortem Amaryncei. Atque revera illos locos imitatum esse Orphicum inde apparet, quod apud hunc (v. 579), cum Cyzico aguntur ludi funebres, Jaso Ancaeo calicem donavit *πάλης γέρας*; nam palaestrae artes non accommodatae sunt ad eius quae ceteroquin elucet naturam. Siderum ei cursus notos esse Orphicus ait v. 209, Apollonius eum appellat *ἴστορα ναυτιλίης* (1. 189) et *οὐ μὲν ἄρηος ἴδριν ἐόντα τόσσον, ὅσον τ' ἐπιΐστορα νηῶν* (2. 870; cf. Orph. v. 727: *τὸν γάρ φασαν ἴδριν ἅπαντες ναυτιλίης σφετέρῃσι δαημοσύνῃσι κεκάσθαι*).

Ναύπλιος αὖθ' ἵκανεν, Ἀμυμώνης φίλος υἱός, ὃν τέκεν εὐνηθεῖσα περικλυτῷ Ἐννοσιγαίῳ, ἀγλαὸν ἠνορέην, δέμας εἴκελον ἀθανάτοισι (Orph. v. 202—204). Apollodorus hunc omittit; Apollonius (1. 133) alia utitur genealogia, ibi enim filius est Clytonei, cuius abavus fuit Nauplius Neptuni et Amymonae filius. Amymona quod Danai filia erat (Apollod. 2. 1. 5), Nauplius et secundum Orphici et secundum Apolloni genealogiam appellari potuit *θείοιο Δαναοῖο γενέθλη*; haec Apolloni verba adduxisse videntur Orphicum, ut deis immortalibus eum diceret similem; atque ipse minus longo intervallo discrevit eum a divino illo Danao. Praetermissis enim Clytoneo ceterisque maioribus, tanquam de Argonauta dicta essent, imitatus est ea, quae Apollonius tradidit de Clytonei abavo: *Ποσειδάωνι δὲ κούρη πρίν ποτ' Ἀμυμώνη Δαναὶς τέκεν εὐνηθεῖσα Ναύπλιον, ὃς πέρι πάντας ἐκαίνυτο ναυτιλίῃσιν.* Neptuni igitur filium opinatus est Nauplium Argonautam; atque accedebant variae res, quibus affirmari haec eius opinio poterat. Ut plerique, qui oppida

antiqua mari adiacentia condiderant, Argonautarum in expeditione interfuisse existimabantur, ita primo Argonautis eum adnumeratum esse puto Nauplium, qui Naupliam oppidum condidit; hunc autem Neptuni Amymonaeque filium fuisse refert Paus. 2. 38. 2; 4. 35. 2. Idem ille est Nauplius, qui ab Aleo Amphidamantis Argonautae patre Augam filiam ab Hercule gravidatam in mare deicere iussus est (Paus. 8. 48. 7; cf. Apollod. 3. 9. 1; Welcker, trag. Graec. p. 766); nam Apollodorus (2. 7. 4) hoc narrans Neptuni eum appellat filium. Simile quid narrabatur de Nauplio Palamedis patre (Apollod. 3. 2. 2) et haec fortasse fuit causa, cur eundem esse putarent Nauplium Amymonae filium et Palamedis patrem. Sed offendebat temporum diversitas, id quod iam vidit Str. 8. 6. 2; itaque expedire rem conati sunt alii *μακρόβιον* eum fuisse tradentes, sicut Apollod. 2. 1. 5, alii genealogiam illam fingentes, quam secutus est Apollonius, qua Proetus, Abantis Naupli consobrini filius (Apollod. 2. 2. 1), ipsius Naupli fiebat filius, Nauplius autem Argonauta ab hoc Proeto genus deducebat.

Post hunc Neptuni filium duos alios Orphicus profert eiusdem dei filios, Euphemum et Ancaeum. De Ancaeo supra egimus p. 31; de Euphemo sic tradit v. 205-206: *Ταιναριεὺς δ' Εὔφημος ἔβη Μαλεήτιδος ἄκρης ἐκπρολιπὼν αὐλῶνας ἁλικλύστους τε Θεράπνας.* Neptunum eius patrem nominant et Apollodorus (1. 9. 16) et Apollonius (1. 180); sed non eadem ab omnibus traditur patria, quocum cohaerere mihi videtur matris eius quae afferuntur nominum diversitas. Primo Phlegyarum e stirpe in Phocide vel Boeotia ortus esse putabatur, ut censet Muell. Orch. p. 263; cf. Pind. Pyth. 4. 45 sq.: *Εὔφαμος, υἱὸς ἱππάρχου Ποσειδάωνος ἄναξ, τόν ποτ' Εὐρώπα Τιτυοῦ θυγάτηρ τίκτε Καφισοῦ παρ' ὄχθαις.* Eandem fere regionem eius patriam usurpat Hesiodus (frg. 146 Kink.), cum Hyriae, Boeotiae in oppido (Str. 9. 2. 12), natum eum esse dicit, sed alia ex matre, Mecionica. Huic simile nomen est, quod alii indiderunt eius matri, Metionica; ea quod Eurotae Laconicae regis filia fuisse traditur (sch. Pind. Pyth. 4. 15), ficta videtur haec genealogia, ut expli-

caretur Euphemi cognomen *Ταιναριεύς*. Nam cum Minyae Taenari sedes condidissent, non solum eas in regiones transmigrasse, sed etiam ibi natus esse Euphemus putabatur; cf. Muell. Orch. p. 315.

Variarum narrationum vestigia exstant apud Apollonium, qui Taenarum quidem finxit fuisse eius patriam, matrem autem Europam filiam Tityi Phlegyae (cf. Muell. Orch. p. 190). Orphicus *Ταιναριέα* vocat Euphemum et pro Apolloni verbis: *Ταιναρὸν λιπών* posuit: *Μαλειήτιδος ἄκρης ἐκπρολιπὼν αὐλῶνας*; substituit igitur aliud Peloponnesi promunturium, quod haud procul a Taenaro abesse arbitrabatur; hoc probari mihi videtur versu 1370, ubi Orpheum a Malea narrat venisse ad Taenarum. Atque cum haec promunturia mari allui sciret, addidit: *ἁλικλύστους τε θεράπνας*; equidem enim minime puto intellegendas esse eas Therapnas, quae Therapna plerumque vocatae ad Eurotam fluvium prope Spartam sitae sunt (Paus. 3. 14. 9; Burs. Geogr. 2. p. 128), sicut censuerunt Hermannus ad hunc locum et Muell. Orch. p. 315, sed *θεράπνας* cum Schneidero existimo nomen appellativum, ita ut genetivus *Μαλειήτιδος ἄκρης* pendeat et ab *αὐλῶνας* et ab *θεράπνας* (= sedes, domicilia); conferendus versus 1208, ubi legimus: *ἐξικόμεσθα Αἰαῖον ποτὶ χέρσον ἁλιστεφέας τε θεράπνας*.

Neptuni filios subsequitur Vulcani qui dicebatur filius: *ἐν δὲ Παλαιμόνιος Λέρνου νόθος ἤλυθεν υἱός· σίνετο δὲ σφυρὰ δισσά, πόδας δ' οὐκ ἦεν ἀρηρώς· τοὔνεκεν Ἡφαίστοιο γόνον καλέεσκον ἅπαντες* (Orph. v. 210—212). Hi versus minime dubitandum est quin originem traxerint ex Apolloni verbis: *σὺν δὲ Παλαιμόνιος Λέρνου παῖς Ὠλενίοιο, Λέρνου ἐπίκλησιν, γενεήν γε μὲν Ἡφαίστοιο· τοὔνεκ' ἔην πόδε σιφλός* (1. 202 sqq.). Apollodorus, cum inter Argonautas affert *Παλαίμονα Ἡφαίστου ἢ Αἰτωλοῦ*, pro patris nomine eius nationem videtur posuisse; nam Olenius Lernus dicitur ab Oleno Aetoliae oppido, quod situm erat prope Pleurona (sch. Ap. Rh. 1. 202; Str. 10. 2. 22; Burs. Geogr. 1. p. 131).

Ἤλυθε δ' Ἀλφειοῖο λιπὼν Πισήτιδας ὄχθας Αὐγείης, υἱὸς πυριφεγγέος Ἠελίοιο (Orph. v. 213—214). Is ut ab Orphico et ab Apollonio (1. 172), ita a plurimis putatur Solis filius,

a nonnullis Phorbantis (sch. Ap. Rh. 1. 172; Apollod. 2. 5. 5); Phorbanti igitur nupta fuisse videtur Hyrmina, Nelei vel Nyctei vel Epei filia, quae Augeam peperit secundum sch. Ap. Rh. 1. 172. Elei filium eum putat Pausanias, qui haec addit: *οἱ δὲ ἀποσεμνύνοντες τὰ ἐς αὐτὸν παρατρέψαντες τοῦ Ἠλείου τὸ ὄνομα, Ἡλίου φασὶν Αὐγέαν παῖδα εἶναι* (5. 1. 8; 9); atque Eleorum, quos ab illo Eleo nominatos esse narrat Paus. 5. 1. 3, regem Augeam fuisse tradit Apollonius. Sed Orphicus, cum Pisatidem Alpheique ripas eum relinquentem fingit, eam substituit Peloponnesi partem, quam alii ei subiectam fuisse existimabant (cf. Muell. Orch. p. 362). Vigebant autem in utraque terra, et in Elide et in Pisatide, de Augea fabulae, quod in utramque immigraverant Minyae (Burs. Geogr. 2. p. 273) et Minyis primo Augeas adnumerabatur, cui rei documento est genus eius a Phorbante Minya deductum (cf. Muell. Orch. p. 98).

Tum commemoratis Amphione et Asterio, de quibus iam supra locuti sumus p. 22, transit poëta ad Boreadas: *δισσὸν δ' αὖ Βορέου καλὸν στάχυν εἰσενόησα, οὓς τέκ' Ἐρεχθῆος κούρη κλυτὴ Ὠρείθυια Ἰλισσοῦ παρὰ χεῦμα θεοῦ φιλότητι μιγεῖσα· οἳ δὴ καὶ ταρσοῖσιν ὑπονατίοις πεπότηντο, Ζήτης καὶ Κάλαϊς, δέμας εἴκελοι ἀθανάτοισιν* (v. 218—222). De parentibus eorum omnes consentiunt; Boreas in Thracia habitare putabatur atque in hanc terram abstulit Orithyiam, Erechthei Atticae regis filiam, quam in Ilissi Attici fluvii ripis saltantem rapuerat; in Thracia eam constupravit prope Sarpedonium saxum et Erginum fluvium. Sic res narratur apud Apollonium, quem sine dubio imitatus est Orphicus sed parum accurate; nam ubi ille raptam Orithyiam esse dicit, ibi ipse concubuisse eam cum Borea tradit.

Celeritate Boreadae maxime excellent, quippe qui orti sint venti procellosi deo; hoc elucet ex ipso eorum habitu atque specie. Alae enim, ut celerrime possint loco moveri, pendent ex eorum tergis (cf. Pind. Pyth. 4. 182) vel Mercuri instar e pedibus (cf. Ap. Rh. 1. 219: *τὼ μὲν ἐπ' ἀκροτάτοισι ποδῶν ἑκάτερθεν ἐρεμνὰς σεῖον ἀειρομένω πτέρυγας, μέγα θάμβος ἰδέσθαι, χρυσείαις φολίδεσσι διαυγέας*). Orphicus

vero has alas sub eorum auribus esse refert; hoc cum minime sit usitatum, dubito an falso interpretatus sit Apolloni verba insequentia iis, quibus alas describit: *ἀμφὶ δὲ νώτοις κράατος ἐξ ὑπάτοιο καὶ αὐχένος ἔνθα καὶ ἔνθα κυανέαι δονέοντο μετὰ πνοιῇσιν ἔθειραι.* Hic quod de capillis dictum est, dictum putavit de alis et immutare aliquid studens scripsit: *ὑπονατίοις*; nam quod utrimque in cervicibus, idem est sub auribus.

Αὐτὰρ δὴ Πελίαο Φεραιόθεν ἤλυθ' ἄνακτος ἀγχιστεύς· νηὸς γὰρ ἐπ' Ἀργῴης λελίητο ἄξεινον ποτὶ Φᾶσιν ἅμ' ἡρώεσσι πελάσσαι (Orph. 223—225). His versibus significari oportet Acastum, quem et Apollodorus affert et Apollonius (1. 224), hic quidem post Boreadas, sicut Orphicus, eum collocans. Quam ob rem Vossius pro *ἄνακτος* legit *Ἄκαστος*; sed offendit *ἀγχιστεύς*, quod filius nulla ratione dici potuit patris sui *ἀγχιστεύς*; hoc enim vocabulo ii significabantur Athenis, qui, si quis intestatus et nulla relicta subole mortuus esset, proximi cernebant hereditatem (cf. Henr. Stephani thesaur. Graec. p. 543 ed. Paris. 1831); proximum autem hereditatis ius obtinebant fratres fratrumque liberi, hi si deerant, sorores et earum liberi (cf. K. F. Hermann, Lehrb. d. griech. Antiqu. II. 1. p. 55). Itaque post *ἄνακτος* lacunae signa posuit Piersonius et huius fere modi versum deesse coniecit: *κοῦρος ἐὼν ἔτ' Ἄκαστος, Ἰήσονος Αἰσονίδαο.* Sic autem mirum videtur, cur Pheris venerit Acastus, cuius pater Pelias Jolci rex fuit, non Pherarum. Pheris iam v. 175 poëta commemoravit sedes habuisse Admetum, qui Alcestidem Peliae filiam uxorem duxerat (Apollod. 1. 9. 15) itaque affinis erat Acasto; sorores tantum, non fratres Acasto erant, habebat igitur secundum eam, quam supra attulimus, definitionem soror proximum ius hereditatis eiusque maritus, praesertim cum *ἀγχιστεία* sit *οἰκειότης προσώπων ἐκ γάμων συνημμένων* (cf. H. Steph. thes.), apte appellari potest Acasti *ἀγχιστεύς*.

Praeterea in Orphici extremo versu 224 codices exhibent *γεγένητο* pro eo, quod Piersonius coniecit: *λελίητο*; itaque sic puto fortasse legendum esse: *αὐτὰρ δὴ Πελίαο Φεραιόθεν ἤλυθ' Ἄκαστος, τῷ ῥα Φερῶν Ἄδμητος ἄναξ αὐτὸς γεγένητο*

ἀγχιστεύς. νηὸς γὰρ etc. Hoc si probamus, cur Pheris Acastus venerit, explicitum est; versabatur enim in eo oppido, cuius ipse secundum quosdam postea accepit imperium (cf. Muell. Orch. p. 256; Seeliger in Rosch. lex. p. 209. 54), in Alcestidis sororis aedibus, cuius maritus ipse quoque cum Argonautis iter fecit. Sic fieri potuit, ut cum Jasone veheretur eiusdem Peliae filius, qui, ut periret Jaso, eum in illam expeditionem miserat. Quam rem alii alia ratione probare conati sunt; cf. Ap. Rh. 1. 323; Demaget. ap. sch. Ap. Rh. 1. 225; Val. Fl. 1. 350 sqq.

Σὺν δέ οἱ ἦλθ' ἕταρος Ἡρακλῆος θείοιο, καλὸς Ὕλας· τῷ δ' οὔπω ὑπὲρ δροσεροῖο γενείου ἀργεννὰς ἐρύθηνε παρηίδας ἁβρὸς ἴουλος, ἀλλ' ἔτι κοῦρος ἔην, πολὺ δ' ἥνδανεν Ἡρακλῆι (Orph. v. 226—229). Is secundum Apollonium (1. 1212) filius est Thiodamantis Dryopis filii; hunc interfecit Hercules filiumque parvulum ad se recepit; cf. sch. Ap. Rh. 1. 131; 1212. Apte igitur cum Hercule ad Argonautas Hylam venisse refert Ap. Rh. 1. 131 his usus verbis: *σὺν καί οἱ Ὕλας κίεν, ἐσθλὸς ὀπάων, πρωθήβης, ἰῶν τε φορεὺς φύλακός τε βίοιο.* Sed mirum videtur, quod Orphicus, qui accommodate huic opinioni Herculis socium appellat Hylam, venisse eum dicit una cum Acasto; nam ad Hylam ipsum cum Hermanno si referimus particulam *οἱ,* hoc sensui repugnat. Potest quidem illa particula, sicut v. 495, usurpari pro plurali numero (cf. Herm. in praefatione p. 811), id quod interpretandum esset: cum iis, sc. cum omnibus, de quibus adhuc locuti sumus, Argonautis venit Hylas. Sed cum ex verbis, quae antecedunt: *νηὸς ἐπ' Ἀργῴης,* difficillime intellegatur *σύν οἱ = σὺν τοῖς Ἀργοναύταις,* mihi videtur Orphicus, ut saepius, parum diligenter imitatus esse Apollonium; ipse Hylam, quod omnium minimus natu est, post ceteros collocavit, sed verba *σύν οἱ,* quibus apud Apollonium Hercules designatur, non immutavit, sic ad Acastum ea respicere et inepta fieri neglegens.

Omnes igitur nunc perlustravimus, quos Iaso et Orpheus ad expeditionem congregatos invenerunt secundum Pseudo-Orphei carmen; sunt autem heroës undequinquaginta, quare recte dicit poëta v. 299: *ὅς ῥά οἱ αὐτὸς ἔνισπεν Ἰήσονα*

κοίρανον εἶναι πεντήκοντ' ἐρέτῃσιν ἀνὰ τραφερήν τε καὶ ὑγρήν; quinquaginta enim socii oboediunt Jasonis imperiis. Apollodori quidem catalogus comparari cum Orphico non potest; nam crebro eos, quos hic affert, apud illum omissos esse vidimus totumque catalogum neglegenter et falso et audacter compositum esse demonstravit Stender de Argon. ad Colchos usque exped. fab. hist. crit. p. 12—13. Sed Apollonius, quamquam quinquaginta quattuor viros cum Jasone navigasse tradit, tamen maxime cum nostro concinit; nam Eribotam, Clytium et Iphitum, Laocoontem cur non in suum carmen receperit Orphicus, facile puto explicari posse.

Eribotes apud Apollonium (1. 71) una cum Eurytione nominatur; quorum cum alterum attulisset poëta, alterum eum effugisse eo verisimilius fit, quod Teleontis filius est Eribotes, Teleontis autem filium Apollonius (1. 96) Butam quoque facit, quem enumeravit Orphicus v. 140. Clytium et Iphitum Euryti filios (Ap. Rh. 1. 86) idcirco omisit, quod Iphitum iam receperat v. 146, sed Nauboli filium, quem Apollonius attulit 1. 207. Laocoontem denique, Oenei Meleagri patris fratrem, quem cum Meleagro advenisse narrat Ap. Rh. 1. 191, propterea non nominavit, quod iam Iphiclum Meleagri matris fratrem eum comitatum esse rettulerat neque allato avunculo patruo quoque opus esse arbitrabatur.

Ceteros vero, quos enumeravit Apollonius, eosdem omnes invenimus apud Orphicum; nam quod Stender ait de Arg. exp. p. 11: „in Orphico quod appellatur carmine unus tantum commemoratur qui deest apud Apollonium, Actorides; . . . denique unus tantum omissus est, Argus Arestoris filius“, id nos expedivisse puto iis, quae statuimus p. 10 et 12. Probatur igitur hac re, sicut aliis singulis documentis, quae dispersim supra attulimus, Apolloni Argonautica imitatum esse Orphicum; quod cum faceret, complures ei intercessisse errores suo loco demonstravimus. Sed non satis erat poëtae alium quendam imitari; etiam id egit, ut ipse aliquid novi proferret, ob eamque rem ea, quae apud Apollonium invenit, ad suum creberrime immutavit arbitrium. Primo enim in

enumerandis heroibus alium secutus est ordinem; tum ea, quae ad locorum situm definiendum vel ad stirpem exponendam ille addidit, amplificavit, hac in re plerumque minime peritum se esse rerum geographicarum et mythicarum ostendens; diversitates multas inde ortas vidimus, quod ea, quae ex Apollonio desumpserat, falso aut parum accurate iis permiscuit, quae ex aliis scriptoribus easdem vel alias tractantibus fabulas ipsius inhaeserant in memoria.

Pauca tamen, quae omnibus his modis explicari non poterant, dubito an sint vetustiorum fabularum vestigia. Nam magnam operam quamquam non puto dedisse poëtam, ut veterum fabularum reliquias indagaret et perscrutaretur, tamen, si fortuito talia ei offerebantur, sine dubio non respuit ea, quandoquidem id maxime molitus est, ut arcana commendaret mysteria et suum carmen quam antiquissimis probaret compositum esse temporibus.

CORRIGENDA.

p. 2—18 ubi post verba Graeca signum; positum est, ponatur;
p. 2 sqq. pro „Jaso“ legatur „Jason“.
p. 4. 28 pro „sua“ legatur „ipsius“.
p. 27. 25 pro „distabat“ legatur „distabant“.
p. 31. 25 pro „Astypalea“ legatur „Astypalaea“.